6
21-g
5

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
21 MI
6

[Bib]liotheca
[C]oll. Rom.
Societ. Jesu
20-H 42

20.3.34
20
I
41

6–21 g 5

Google

POESIS
EPIGRAMMATICA,
E T
LYRICA.

JOANNIS BAPTISTÆ CONTI
E SOCIETATE JESU,

Ad Eminentiſs. & Reverendiſs.
PRINCIPEM

HENRICUM
S. R. E.
CARD. DE NORIS.

ROMÆ, MDCXCVI.
Expenſis Jo: Jacobi Komarek Boemi, apud SS. Vincentii, & Anaſtaſii in Trivio.

SUPERIORUM PERMISSU.

Eminentiſs. & Reverendiſs.
PRINCIPI
HENRICO
S. R. E.
CARD. DE NORIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HANC duplicem Poeſim, quam olim ſcribendo juvenile otium meum juveniliter tranſigebam, ad te nunc delegare, tibique inſcribere nec conſilium, nec animus erat, Princeps Eminentissime; *niſi palam eſſet & humanitas tua, & tuum per omnem litteraturam latiſſimè pertinens, atque adeò humanioribus*

litteris tempeſtive arridens, & feſtive alludens ingenium. Qualis ipſe ſis in auguſto ſupremarum diſciplinarum magiſterio; qualis in ſinuoſa difficiliorum annalium longinquitate penetranda; quantus in decurrenda totius ſacræ, pronæq; hiſtoriæ immenſitate; quàm in theologicis diſputationibus veſtigator argutus, & prope dixerim, oculeus Argus: luculentiſſimo nobis documento illa ſunt, quæ poſteritati, ac ſæculis monumenta tranſmiſiſti. Ipſa etenim eruditis literarii Orbis nationibus velut præſentem, ætatibus velut coævum, inquæ nullis peregrinantem heroicæ antiquitatis moribus, ac doctrinis, ſuum omnigenæ quà eruditionis, quà ſcientiæ auctorem eſſe, omninò teſtantur. Verùm tot, tamque grauibus meditamentis, tantæque ſtudiorum ſeveritati addictus penitus, vacas ad-

adhuc nihilominus caballini fontis, ac bicipitis Parnaſſi jucunditatibus perluſtrandis. Nec dedignaris, quin etiam delectaris quandoque è ſapientiæ maturioris autumno per avocamenta opportuna ad poeticum aliquid, hoc eſt, ad ver ingeniorum divertere; ut ſcilicet nonnullo veris hujus afflatu inſtaurata tibi mens ad feliciorem ſubinde lucubrationum ſuarum autumnitatem ſe referat. Egomet nuper ſcitiſſimo quodam alloquio tuo & proficiens, & perfruens quaſdam civis tui, poetæ Veronenſis argutias extemporali planè felicitate, & quidem pro re nata, atque in loco ſic te reddentem audivi, ut de memoris facultatis ſuæ promptuario ægrè tantumdem ſperaret vel qui cætera vacuus in hiſce poetarum cantionibus impenſe aſſiduus eſt, atque multus, atque etiam totus. Ea

 me

me cogitatio, accedente præſertim, quam mihi non ſemel præbuiſti, benevolentiæ tuæ ſignificatione, in id confidentiæ excitavit, ut noſtrum hunc oculis tuis libellum, qualis ipſe cumque ſit, exhiberem. Neque ſanè confidentem animum iſtud Romanæ Purpuræ honeſtamentum, quod tibi recens à Sanctiſſimo INNOCENTIO *delatum eſt, tua exornaturum promerita, tuis promeritis exornandum; ſua tanquàm radiatione vibrante in præſentia aut repellit, aut retardat. Siquidem nemo neſcit, virum ſapientem, cum ad rerum faſtigia promovetur, virtutis ſuæ momentis libratum ſemper ſubſiſtere. Quapropter eſſe ille quidem poteſt evectus, nunquam tamen elatus: atque hoc uno demum illius mores egregii in egregio Magiſtratu immutantur, quòd illuſtriores, & conſpectiores exinde*

deſiunt; videlicet non eos corrumpente, ſed in theatrum exponente ſublimitate, & poteſtate. Igitur tua jam purpurata ſapientia turbæ humilioris obſequia humanitate non minore, quàm antea, ſed ſpectabiliore, quia eminentiore amplexabitur. Nihil eſt proinde, quod noſter hic quamquam gregarius, & pedeſter liber in ſapientiæ tuæ conſpectum, in humanitatis tuæ ſinum quaſi meticuloſus adrepat. Imò vero eſt, quòd ab ſapientiſſima humanitate, ab humaniſſima ſapientia tua humaniter ſe excipiendum confiſus, liberiore ſtatim volatu prægeſtientis alacritatis approperet: exilis profectò, ac fere nullus, à me tibi dum datur, fortaſſe aliquid non exile futurus, abs te acceptus dum fuerit. In ampliſſimo quippe ſapientum virorum ſenatu adeò nominis tui præfulget dignitas, & præ-

pol-

pollet auctoritas, ut quidquid alienæ ſcriptionis favorabili ipſe vultu non indignatus aſpexeris, facere vel aſpiciendo, conſpicuum poſſis. Deſpicatiſſimæ paludis vapor exiguus, & obſcurus, poſt quam in ſublime ſub aſpectum maximi ſyderis venit, iris eſt. Vale PRINCEPS EMINENTISSIME; *& virtutum amplificationi, litterarum, ac litteratorum præſidio, Chriſtianæque Reipublicæ felicitati diu vive.*

Ex Collegio Romano die 30.
Auguſti 1696.

E. V.

Humillimus, & Devotiſs. Servus.
Joannes Baptiſta Conti.

THYR-

THYRSUS GONZALEZ
SOCIETATIS JESU
PRÆPOSITUS GENERALIS.

CUM quatuor Libros Poeſeos *Epigrammaticæ*, & *Lyricæ*, à P. Jo: Baptiſta Conti noſtræ Societatis Sacerdote compoſitos, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandentur, ſi iis, ad quos pertinet, ità videbitur, &c. Datum Romæ 6. Aprilis 1696.

Thyrſus Gonzalez.

Impri-

Imprimatur.

Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſtro Sac. Pal. Apoſtolici.

Sperellus Epiſcopus Interamnen. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Paulinus Bernardinus Ord. Præd. Sac. Apoſt. Palatii Magiſter.

PRO-

PROLUSIO
AD
LECTOREM.

PLures jam annos, uniuerſique laboris mei plurimum ſeverioribus, atque adeò ſanctioribus litteris dedi. Quid igitur mihi cum ludicro Poetarum, ut vel per epigrammata jocosè argutari hìc libeat, vel lyricis numeris modulari? Accipe lector benevole, quid meritò ſanè excuſem. Scriptitabam hæc olim, dum ætas melior, meliuſque otium ſineret; nunc eiſdem horarum, & lucernæ tantum indulſi, quantum excerpendis, partimque familiâ ſubmovendis, partim retinendis, ac per claſſes multiplices quaſi tributim diſponendis opus erat. Id præloqui ſtatim, & prima velut in fronte præ me ferre occupaui, nimirum ſubveritus, ne, ſicut ille videbatur quondam togam (quod ajunt) ſaltanti inducere perſonæ; ita equidem viderer ipſe, ſi non ſaltum, at cantum certe leviuſculum meis omni

togâ

togâ gravioribus ſtudiis adjungere. Præterquam quod Angelici me Doctoris ſcripta, aſſidua manu verſantem, minimè decuiſſet, quod ab illo ſapientiſſimè dictum cumprimìs perhibent, videri aut neſcire, aut negligere: nempe uni affigi oportere ingenium deſtinato auctori, ac libro; multumque potius ſtudendum eſſe, quam multis. Hæc, quæ in mei purgationem præmiſi, animo velim anticipes; ac tunc penitus te mihi facilem ſperem, ſive atticâ ſubtilitate limatus, ſeu forenſi ſolicitudine crudus, albuſque totus, ſeu nubilo demum matutinæ frontis penè atratus huc venias.

Noſtri nam rigidâ explicare frontem,
Saturnumque animis leuare triſtem
Fortaſſis valeant ſatis libelli:
Quamquam nec ſale Zoilum, jociſque
Ludit Bilbilis hìc alumnus altæ;
Hìc paſſer neque pipilat Catulli;
Nec rident Calabræ lyræ lepores.

EPI-

EPIGRAMMATON
LIBER I.

EPigrammatum, vel cùm optima ſunt, malam nihilominùs linguam eſſe, ipſemet præcipuus illorum author non abnuit. Verùm & bonam, & ſacram fieri aut ſæpè, aut interdùm linguam illam, quis vetet? Etenim ſemper ne alienis moribus, ac factis pungendis, repungendiſque ſpicula ſua exerceat Epigramma? Licet, atque adeò apprimè decet brevi ſcriptionis ejus acumine lemmata ſacra (quando pertractare luculenter, & pro dignitate non poſſumus) velut exoſculari, & libare. Id ſanè haud inauſpicatò noſter hic primus aggreditus liber, majeſtate materiæ ſuæ exornandus, quam ipſe per ſe exornare ſatis non valeat. Praxitelis cælum vel cautes, & ſaxa nobilitat: minora interim artificia ipſo, in quo deſudant, auro illuſtrantur.

In Chriſti Infantis exortu arcanum Dei hominis myſterium.

DIvino è vultu mortalia lumina quondam,
Audacemque aciem cogit abeſſe Deus.
Ipſe etenim immenſæ vallatur cyclade lucis;
Nec capiunt tantam lumina noſtra diem.
Sed jam noſtra Deus tandem ſub lumina venit,
Concreta & nobis mole videndus adeſt.
Paruulus eſt, recubatque ſpecu, multoque decembri
Tangitur, & nudus lactea membra tremit.
Officioſa juvat quadrupes, animæque tepentis
Aſſiduam prono gutture inhalat opem.
Scilicet hæc oculis dantur miracula rerum;
Sic propiore datur Numinis ore frui.
Attamen hoc quantâ nobis ænigma ſub umbra eſt!
Mortali æternus conſtat in ore Deus:
Induit humanos artus moriturus, & idem
Arbitrium vitæ, juraque mortis habet.
Tantum nempe Deo miſeri ignoramus aperto:
Tantum vel nobis cùm patet, ille latet.

Ad Beatum Aloyſium Gonzagam, qui inter ludendum trudiculis, rogatus, imminente morte quid ageret; luſurum ſe reſpondit.

PAllados ut parcas alterna per otia curis,
Fallere ſtat ludo liberiore diem.
Ludicro tabulam ſupra datur area marti,
Currit ubi, atque ebori mobile pugnat ebur.
Trudibus acta pila impellente retruditur hoſte,
Offenſæ offenſam reddit & ipſa parem.
Eminet at contrà fuluo ſpectabilis auro
Anulus, & rapidis ictibus uſque patet:
Pulſantique pilæ partem aſſentitur in omnem,
Dedaleâ ut luſor dexteritate jubet.
Anulo in hoc Gonzaga & dextrâ, & lumine totus
Figeris: hinc ipſum creber, & inde petis.
Sic inſtas ludo. At quid ages, rogo, ſi modò vitæ
Fortè tuæ Lacheſis penſa ſuprema trahat?
Diſce,

Diſce,inquis,quid agam:pergam hæc in Indicra;ludũ
Nec terrere queant ultima fata meum.
Ludere cum jubeant, quorum eſt pro Numine nutus;
Ludicra cœleſti Numine juſſus ago.
Scilicèt hic longè eſt potior, quàm ſeria, ludus;
Ponderis hic plus, quam ſeria, ludus habet.
Sic mihi ludenti veniant ſi fata, peracto
Nec dùm etiàm ludo vincere fata dabunt.

De Sacris Lipſanis divorum Vincentii, Placidi, & Reparatæ.

VIncenti, Placidi, & Reparatæ hoc pulvis in auro
Pluſquàm aurũ eſt; aurum pulveris inſtar habet.

De Liberiana Baſilica Divæ Mariæ ad Nives.

DEſcriptum hoc Templum tacitarũ vellere aqua-(rum eſt;
Quod modò romanis imminet Exquiliis.
Namque Cleoneo ferυet dùm ſydere cœlum;
Nix hyemem exhibuit ſparſa repentè ſolo.
Hinc templi fines Deus æthere ſignat ab alto,
Inſuetiſque homines edocet indiciis.
Quàm latè ergò via eſt candore notata recenti,
Tàm latè extruitur Virginis alma Domus.
Jàm cedant, ſtent Templa licèt laquearibus aureis,
Gemmatiſque licèt ſtent pretioſa tholis.
Plus pretii huic templo, ſolo in fundamine, cujus
Metata eſt altis area prodigiis.

Quatuor Latinæ Eccleſiæ Doctores.

GRegorius mores componit, at Auguſtinî
Pugnat in Hæreſeon Pallas acuta dolos.
Dalmatici ferυet facundia docta Magiſtri:
Eloquio Ambroſius floret, & ingenio.
Infima ſed decora hæc fuerint; ea ſumma ſuperſunt;
Illorum & fecit quilibet, & docuit.

Divus Auguſtinus Confeſſionum libros ſcribit.

IN recti norma, & morum Auguſtinus in arte
Peccavit ſi quid devius, ipſe notat:
Ipſe inſtat ſcriptis animi nudare latebras
In tabulis, hominum cogit & ora pati.
Opprimit at ſua proh quantæ virtutis honore
Crimina, dùm tanta in luce patere jubet!
Jàm canere hic decet: ò pulchras de crimine laudes!
Si non erraſſet, fecerat ille minus.

De Divo Ægidio, quem Cerva lactavit in antro.

ÆGidio lucoſque inter, caveaſque latenti
Nutritorem adhibet provida Cerva ſinum.
Utitur ille feræ obſequiis, & dives alumnus
Ad ſcatebram, vitæ candida dona bibit.
Sic novit blandæ quondam nutricis amorem
Sumere, & ingenium ponere Cerua feræ.
Partamen eſt, tantus quandò tenet incola ſylvam,
Sylva, feræ careant aſperitate ſua.
Ille Deo ut placeat, ſuccedit in antra ferarum;
Illas ipſe Deus dedocet eſſe feras.

Ad Divum Vincentium Martyrem, cujus vulneribus præſens Angeli medicamentum apportant.

DUm te Vincenti vis effera tundit, inundat
Undique membra tuus dilaniata cruor.
Addenſant hoſtes liventia vulnera; & uncis
Ille hamis artus, unguibus ille petit.
Omnibus at major tua ſtat patientia pœnis;
Regnat & in mediis prodigioſa malis.
Cœlicolum tantæ virtuti allabitur agmen;
Promit & ætheream numinis ales opem.
Hinc tua ſydereo miteſcunt vulnera ſucco;
Nectaris hinc refovet membra cruenta liquor.
Inſpiratque nouum cœli medicina vigorem
Dive tibi, & nervos ad nova bella parat.
Quàm ſuperis placeant tua felix prælia miles,
Inde mihi haud mendax ducitur indicium:

Ut ſuperi nova te reparent ad bella, tibi jam
Semianimi medicas applicuere manus.

Divo Franciſco Xaverio delapſam in mare Crucifixi Servatoris effigiem Cancer marinus reſtituit.

NUminis è ligno pendentis imago profundis
Xaverio exciderat merſa repentè fretis.
Cancer at extemplò ſubit imum nerea, & ardet
Undarum cæcos ire, redire ſinus;
Accidat ut tantam in prædam, tollatque jacentem,
Portitor & ſummis aſſerat ipſe vadis.
Rem citus aſſequitur, cheliſque fidelibus acer
Tàm Domino caras reddere tendit opes.
Abſtruſas licèt & gemmas efferret ab undis,
Plus dat Xaverio, cum dat habere crucem.

De Spiritualibus Divi Ignatii Loyolæ exercitiis Aſceta expertus ſic teſtatur.

QUod Loyolei monſtrat Sapientia libri,
Spectandum exhibui ſedulus ipſe mihi.
Mira equidem vidi, longum eſt ea dicere, dicam
Id breve: qui cæcus nuper eram, video.

Chriſti Pueri effigies in horto amæniſſimo depicta.

HIc flos, & fruges lectiſſima: tu modò prudens
Hunc colito; indè tibi frugifer annus erit.

Idem Argumentum.

DIfficilem quicunque Deum tibi fingis, in horto
En tibi; ni renuas, obvius eſſe poteſt.

Idem.

UT flores, riſumque petas, ne deſere Numen:
Vel flores inter nam tibi Numen adeſt.

Idem.

SYlueſtrem ne crede Deum, velut aſpera, Faunos,
Numina: quem flores inter habere potes.

Idem.

QUod fuit amiſſum quondam tibi numen in horto
Jam vel in horto ipſum fas reperire tibi eſt.

Idem.

TE ſine magne Puer flos ſpineus omnis; & omnis,
Dùm tecum fuerit, florea ſpina mihi eſt.

De religioſis Votis.

NOn aliena Deus, ſua ſed tantum accipit ipſe,
Seu te, ſeu tua des, ſeu tua, teque ſimul.
Ergo quid in triplici voto das? omnia nempè
Debita cùm reddas, munera nullà dabis?
Nulla dabis, multa at referes; diteſcere nam qui
Haud ultra potis eſt, dat ſua, ſeque Deus.
Attamen hæc eadem, quæ ſunt ſua, poſtulat; hæc tu
Si dederis, magni muneris inſtar erunt.
Dat Deus, atque petit; ſed non petit, ut ſibi proſit:
Ut tibi proſit, idem dat, pariterque petit.

Ad Beatum Aloyſium Gonzagam. qui conſummatus in brevi explevit tempora multa.

UT celeri metam valeas contingere curſu,
Idcirco ne latus ferrea cuſpis agit?
Haud ſtimulis opus eſt, ferrum, & calcaria pone;
Proxima Aloyſi ſtat tua meta tibi.
Jam dudùm virtus exit tua Neſtoris ultrà
Tempora, & innumeras explet Olympiadas.
Hinc medio meta in curſu tibi tangitur; & dùm
Vernat adhuc viridis, cana juventa tua eſt.
Excedis citus, aſpicimus ſi vota tuorum;
Facta ſed aſpicimus ſi tua, ſerus obis.

Sunt

Sunt, quos, centena vel ſi trieteride feſſi
Occubuere, putem non periiſſe ſenes.
Te quamvis brevibus tua poſt cunabula luſtris
Abſtulerit cita mors, abſtulit illa ſenem.
Quiſquis ſera voves Parcarum ſtamina, votis
Quin jaculare olim nobiliora tuis?
Quid miſerum, incertumque petis? Dat certiùs una,
Dat melius virtus, ut moriare ſenex.

Divi Caſſii cineres cum primum Narniam aſportati ſunt, binas à malo dæmone occupatas mulieres liberant.

TArtareis quondam poſſeſſa furoribus oſſa,
Atque artus acer verſat utrinque dolor.
Femina dira furit; furit & ſimùl altera; vulgò
Terribiles referunt templa ululata ſonos.
Expumant ambæ, torviſque obtutibus horrent
Ambæ & præcipites in ſua damna ruunt.
Sed Caſſi cinerum cuſtos ut cernitur urna,
Omnis ab infeſſis ſtyx violenta fugit.
Sic ſtygios torquet non unus dæmonas ignis:
Queis Divûm potis eſt tortor & eſſe cinis.

Divus Franciſcus Xaverius adſtricto funiculis corpore iter ingreditur.

IMmeritos nodis crucias pænalibus artus,
Qui dudùm in choreas emicuere leues.
Crimen an illud erat facili verſare rotatu
Corpus, & in numerum ferre, referre pedes?
Nempe genus ludi eſt, aptum juvenilibus annis;
Dumque habilis vegetat vivida membra vigor.
At quamvis Franciſce levis, ſeu nulla luenda
Sit tibi noxa, tamen pœna cruenta placet.
Non ſat habes inſons urgere per ardua corpus,
Atque per abruptas exagitare vias.
Detur ut inſuetum membris geminare laborem;
Et vinclis cohibes corpus, & ire jubes.

De Divo Laurentio Martyre.

DUm ſuper æratas crates Laurentius igne
  Uritur, exuri poſcit utrumque latus.
Vulcanumque dolens minùs ad ſua fata ſurentem,
  Tortorem ardenti provocat ore ſuum.
Verſa, ait, exuſtos artus, & paſcere tortor
  Intrepide, & pœnis exaturare meis.
Congere in omne latus tædas, & ſulphura circùm
  Adde; mei nè pars ulla dolore vacet.
An non horreſcis tantæ miracula vocis?
  Non hæc ò tortor barbare vota ſtupes?
Hiſce tuam verbis acuit Laurentius iram;
  Increpat & lentas in ſua damna manus.
Voce tamen tanta, tanti eſt quæ pectoris index,
  Si ſapis, ah fieri barbare diſce pius.

Divus Ignatius Loyola meliorem vivendi rationem amplexurus è templi tholo militarem enſem ſuſpendit.

ARma tholo properat miles ſuſpendere ſacro
  Cantaber, & curas martis abeſſe jubet.
Quantas dire tuas Dæmon, cladeſque tuorum
  Proſpicio: ah miſer hæc arma relicta time.

Diva Maria Magdalena capillis extergit lacrymas, quas in Chriſti pedes effundit.

TAm citò cur lacrymas abſtergis, quæ benè calles,
  Quale tuis pretium Magdala ſit lacrymis?
Haud pretium tantum deleri tam citò debet:
  Nil valet hoc pretio carius eſſe Deo.
Nimirùm, hoc pretio venalem exponit Olympum;
  Hoc ſe venalem tradit & ipſe Deus.
At ſcio: crine legis pretium hoc, ut crine patratum
  Quod fuit ante neſas, hoc redimas pretio.

De Infantis Dei ortu; & de Neſtoriano circa id myſterium errore.

ASpicis immiti trepidantem nocte, geluque;
Graminea fultum ſede, thoroque rudi?
Divinus puer eſt: labor ille, dolorque gementis,
Humanæ aſſertor gentis, & orbis erit.
Scilicèt exitiis columen quò denique noſtris
Occurrat, ſummo venit ab axe Deus.
At mala ſic hominem veſania poſſidet olim,
Ut pereat dono vindicis ipſe ſui.
Neſtorius tanto ſibi de medicamine virus
Inſtruet infelix, deque ſalute necem.

Ad Divum Bernardinum Senenſem, qui alapam incutit homini, obſcæna loquenti.

MItis es ingenio; at Veneris dum verba ſonarent,
Ingenium afflauit nobilis ira tuum:
Irruis obſcænum in juvenem; atque ignara ruboris
Ora rubere ſatis mox tua dextra docet.
Infandam es Venerem tàm Bernardine peroſus:
Quò Veneri obſiſtas, jam potes eſſe ferox.

In ſolemnes Divorum Joannis Baptiſtæ, & Auguſtini dies; quorum alter ſextili menſe recurrens proximè alterum conſequitur.

INteger ille fuit vitæ, atque intactus ab omni
Labe; diù obſcæni criminis ille reus.
Aſt illum nunc una dies, nunc altera & illum
Ponè ſequens memori relligione refert.
O factum pulchrè; ne ſpes fidiſſima quondam
Chriſtiadum cedat pectore, pulſa metu.
Joannem recolens non ſpero; ſed Auguſtinum
Cum recolo, Cœli ſpes mihi certa ſubit.
Sic ſpes, atque metus librant pia pectora; dum ſpem
Ille ſalutatem nos docet, ille metum.

Ad Beatum Aloyſium Gonzagam. De voluntariis ejus corporis cruciatibus.

NOn unum ſat habes genus malorum
Gonzaga; innumeris tuos cruentas
Artus verberibus; canumque lora
Inter flagra refers: juuat carere
Noxa, quæ mereat ſubire pœnas,
Sed nulla juvat abſtinere pœna:
Lædunt mollia Virginum nitorem;
Spinis lilia cautiùs tueris.

Divus Franciſcus Aſſiſias ut fœdas cogitationes exturbet, nudum inter nives corpus ſuum volutat.

QUi Venerem inſpirat Dæmon mortalibus, idem
Procudit turpes in tua corda faces.
Tu tamen arte nova fruſtraris vota maligni
Dæmonis, impar eſt artibus ille tuis.
Sub Joue te Franciſce per arva nivalia verſas,
Ut Veneris mergas ignea tela, nive.

De Puero Jeſu; & de Regibus Magis.

QVærit, & æternum reperit ſtella indice ſolem
Obſequioſa ferens munera dives Arabs.
Sed quid opus ſtella eſt? Solem ſol exhibet ipſe,
Nec facis exigua luce minoris eget.
Jam tamen humanæ formæ ſub nube latentem
Debuit indiciis ſtella notare ſuis.

Dypna virgo impudicum patris amorem abs ſe reiiciens à patre occiditur.

IN Dypnam genitor flagrans jam Cypride tota
Flagranti verſat pectore turpe neſas.
Inſanum at votum genitoris Dypna repellit;
Intrepidamque facit virginitatis amor.
Ilicèt euadit furor, irrita Cypris; & ipſo
Mox patitur proles à genitore necem.

Sic

Sic odiis atrox fit natæ tortor, amore
Qui priùs inceſto deſiit eſſe parens.
Num rectè quid agat, qui nec ſine crimine prolem
(Heù monſtrum infandum) novit amare ſuam:
Iratuſque odit peius? Sed amoris, & iræ,
Atque odii victrix Virgo perinde ſtetit.

Ad præſtantiſſimam è ligno ſtatuam, quæ Beatam Mariam Magdalenam macie, lacrymiſque confectam ad vivum repræſentat.

Sciſſa comam, exanguis macie, lacrymoſaque vultu,
Verbere rupta cutem, dilaniata genas;
Verane Magdala es, an ficta ſub imagine lignum?
Si lignum; nùm animâ frigida ligna calent?
Exanimum es lignum; at verè mihi flere videris;
Quin ego, te ut video, fletibus ora rigo.
Flexànima hìc cedat Tulli vox; frigida ſculptor
Ligna, per ipſa & nos ligna dolere docet.

Ad Divum Ignatium Loyolam, qui nuper miles, mox literarum ſtudiis dat operam.

PAllada pugnacem linquis, doctamque requiris;
Moliriſque armis jam nova bella novis.

Eodem, quo Beatus Stanislaus Koſtka moritur anno, Beatus Aloyſius Gonzaga naſcitur.

MOres ſæpe novos ruga indignatur anilis;
Degenerare parens pignora ſæpe dolet.
Optima defluxere, inquit; vitioſa propago,
Deque jma pejor fæce ſubinde venit.
Jam decorum, ac virtutum effœta exaruit ætas;
At vena profert uberiore ſcelus.
Mitte ſenex tamen iſta queri: nam nequior haud eſt,
Deteriorque dies anteriore recens.
Fert Gonzagam idem, qui Koſtkam ſuſtulit annus;
Sole novo ſolem penſat & occiduum.
Ergò mori tantum ne crede recentibus annis
Optima; quando iiſdem ſurgere poſſe vides.

Noſtra poteſt decorum ſemper fæcunda novorum,
Divûm obitu, atque ortu nobilis eſſe dies.

Diva Catharina Senenſis oblatis à Chriſto aureis, & ſpineis ſertis ſpinea accipit, & Chriſtum ſic alloquitur.

FErs aurum, atque vepres, ſed ſi datur optio, rerum
Summe Parens, aurum reſpuo, malo vepres.
Auro homines pretium dederunt, tu vepribus: ergò
Id mihi pluris erit, quod tibi pluris erat.

Ad Divum Euſtachium, cui venanti inter Cervi cornua crucifixus Chriſtus apparuit.

VEnator felix venantem te occupat, & te
In morem prædæ geſtit habere Deus.
Se tibi ſpectandum Cervi inter cornua præbet,
Quamque ipſe inſequeris, te capit ille ferâ.
Pauper eras nuper prædator, ſed modò præda
Prædatore tui dives es ipſe Deo.

De Eodem.

EVſtachio in ſylvis pavidi inter cornua Cervi
Conſpicua pendens è cruce Numen adeſt:
Venanti per luſtra feras indagine multa
(Proh quam nobilior!) ſe nova præda dedit.
Nonne paratus erit quærenti; quando ferarum
Se venatori præbuit ipſe Deus?

In Chriſti Domini morte multa Sanctorum, qui dormierant, corpora ſurrexerunt.

EXpirante Deo exiliunt rediviva ſepulchris
Corpora, queis moriens vivere Vita dedit.
Prodigiis certat divina potentia amori:
Extincti hac ſurgunt, hoc Deus ipſe perit.

Divus

Divus Ignatius frigido ſe lacu immergens impudicum iuvenem à ſceleribus retrahit.

SIc te gurgitibus merſas Loyola profundis;
Sic rigido crucias languida membra gelu;
Ut juvenem revoces, fædo quem pectoris æſtu
In vetitam venerem cæca libido rapit?
Frigore victa tuo moritur jam cypria flamma:
Jam fugit è juvenis pectore victa Venus.
Sat juveni tua pœna dolet, fortaſsè doleret
Illa minùs juveni, ſi ſua pœna foret.
Quem pœnæ formido ſuæ nil commovet, illum
Detrectare jubet mox tua pœna ſcelus.
Ferveat Orator; veteri monitore docemur;
Vincere enim, ſi non ferveat ille, nequit.
Ipſe ſed inter aquas vincis, cauſamque peroras:
Nempè vel algentes fervidus inter aquas.

Ad Divum Simonem Salum, qui ſtultitiæ ſpeciem piè præſeferebat.

QUod nos vix ullis doceat ſapientia libris,
Dive doces, ſtultum dùm ſapienter agis.
Per lacrymas alii; pia tu per ludicra cœlum;
Nos modo nè pigeat, ſcandere poſſe doces.

Idem Argumentum.

ELata alliſit plures ſapientia; contrà,
Stultitiam aſſimulans tendit ad aſtra Salus
Haud res eſt homini, Deus, ardua. Turba Sophorum
Tartara pluris emit, quàm Salus iſte Deum.

De Sacro Baptiſmatis fonte.

HIc lenis medicina; at quam Deus efficit: illa
Quàm grave ſit vulnus, non docet; ille docet.

Dity-

Didymi, & Theodoræ pro morte obeunda certamen.

MAgnanimi Heroes! Certamen nobile! Morti
Ille ſuam vitam devovet, illa ſuam.
Præripere alterius fatum cùm geſtiat alter,
Alter in alterius formam, habitumque migrat.
Librato tortor ferro jam pendet in ictum;
Ingenium egregii nec videt ipſe doli.
Sed Theodora dolum adventu mox prodit; & alta
Voce ſibi, clamat, fata cruenta rapi.
Quò crudelem ictum, quò barbare dirigis, inquit;
En adſum manibus Virgo necanda tuis.
Hoc gladius tepeat jugulo tuus; hanc pete tortor,
Hanc animam: eſt miles, quem jugulare paras;
Eſt miles, quamquàm mentitur veſte puellam;
Iſtâque aſciſcit ſtrenuus arte necem:
Sed quam mentitur fucato miles amictu,
Ipſa ego jam venio victima vera tibi:
Quem libras ictum, jam jam in mea colla reflecte;
Quòd tibi me prodo, ne ſit inane mihi.
Sic Virgo. Contra Didymus generoſus: id unum
Te rogo, fruſtrari ne mea vota ſinas;
Aptior hæc eſt, ò Virgo, ad crudelia cervix
Vulnera; in hanc ferrum tu modò tortor age.
Miratur tortor certantes: qui dare tantùm
Se tormenta putat, jam dare dona videt.
Forsàn & attonitus jam parcere vellet; at illis,
Vel ſi conetur parcere, tortor erit.

Divus Ignatius tormenti bellici ictu vulneratus ad meliora conſilia ſe vertit.

CRura tibi poſtquàm violentus perculit ictus,
Ignati, eſt ipſo vulnere parta ſalus.
Miles es infelix, pugnas dùm marte ſecundo;
Felix, dum adverſo prælia marte geris.
Nam ſapere ipſa tibi dant arma inimica; ſalutis
Nil tibi plus affert, quàm quod ab hoſte venit.

Chri-

Chriſti Infantis Præſepe Franciſcus Aſſiſias rudi ceſpite, & ſylveſtribus foliis piè conſtruxit; quod divinus ipſe Infans inviſit, & in ſuppoſito ſtramine recubuit.

Haud faſtum Bethlea ſpecus ſibi vendicat; omnis
Ambitio in tantâ ſat peregrina domo eſt.
Pulchrius in paleis, & vulgo graminis horret,
Quidquid amat tantos aſſimulare lares.
Exprimit hæc quondam Franciſcus aperta decembri
Tecta, rudemque caſam, gramineumque thorum.
Materiamque operi ſylvarum accerſit ab umbra,
Molitus facili frondea ſerta manu.
Dein quæ impune virent ſævæ inter frigora brumæ,
Muſco, & corticibus ſternit agreſte ſolum.
Huc imbelle pecus, vigileſque ſubinde magiſtros
Inducit, quales ruſtica ſepta decent.
Sic tota ingenuum rupis mentita rigorem
Bethlemiam moles prodit in effigiem.
Tùm generoſam opifex appellit in ardua mentem,
Inſtinctuque pio grandia vota movet.
Extructam ac ſedem quòd non Deus impleat hoſpes,
Felici eſt auſus ſimplicitate queri.
Protinùs hoſpitio, & voto Deus adfuit infans,
Vagitumque dedit dulce madente gena.
Ergò quod ante ſibi vovit Franciſcus, ab aſtris
Denique delapſum munus adeſſe ſtupet.
Inque pios mox amplexus micat, & calet intùs,
Exultatque fruens illacrymante Deo.
Lætitiæque, ſibique impar nec ſe capit ipſe,
Nec vitæ potis eſt, nec meminiſſe ſui.
Expreſſum verâ, vivâque in imagine Numen
Te Franciſce penès qui modò quærit, habet.
Tecum eſt, quale olim ſuprà cunabula; tuque es,
Quale olim expirans in cruce Numen erat.

Divus

Divus Ignatius trudiculis ludit invitatus ab adoleſcente, quem dum eo vincit in ludo, juxtà conditionem utrinque poſitam ipſum ad optimam vitæ, morumque rationem ſolertiſſimè traducit.

Ad Adoleſcentem.

TRudibus invitas Loyolam ludere eburnis;
Ludet, & exiguo tempore victor erit.
Præmia quin etiam de te digniſſima victor
Accipiet; perdes victus at ipſe nihil.
Te tibi, teque Deo ſolers lucrabitur ille,
Ut verè te habeas, ſis ut & ipſe tuus.
Proderit hæc victo pariter victoria: luſor
Felici hìc penitùs ludet uterque manu.
Læuus erit nulli, luſori jactus utrique
Dexter erit; jactu vincet uterque ſuo.

De Divo Joanne Apoſtolo, ac diſcipulo præcipuè dilecto.

PEr rerum ſpecies duc mentem, & lumina; rerum
Author amat toto quidquid in orbe vides.
Omniū amans, & amor Deus eſt: quod non amat ille,
Protinus eſſe malum conſtat, & eſſe nihil.
Joanni hoc ipſum tamen eſt inſigne: Magiſtro
Dilectus quondàm dicitur ille Deo.
Hoc illi proprium, hoc illi vel nominis inſtar
Fecerat æterni Numinis altus amor.
Qualis Joannes fuerit, ſatis inde monemur:
Omnia amat; ſed eum fertur amare Deus.

De Sanctorum Innocentium ſtrage.

QVis nam maternis Bethlea doloribus implet
Tecta furor? Quis nam funera tanta parat?
Cædibus arctantur crebris ſqualentia luctu
Compita; & infantum membra reſecta jacent.
Exta jacent evulſa; & ſanguinis unda perennis
Protinùs horrendi fluminis inſtar abit.

Hêro-

Herodis facinus crudele! Ille impius auctor
Tot ſcelerum; inſontum tot jubet ille neces.
Virginis ut proles Deus involvatur eodem
Turbine, tàm dirum ſtat properare neſas.
Falleris infelix; optas quem perdere, per te
Innumera huic potiùs victima cæſa Deo eſt.
Et tuus (heu neſcis) id mucro paravit utrumque:
Obſequiumque Deo, perniciemque tibi.
Æternùm at felix puerorum innoxia turba:
Vos heroas atrox Principis ira facit.
Morte Deus vobis, & mundo proderit, ante
Sed vobis mortis profuit ille fugâ.

De Divo Stephano Protomartyre.

DUra rapit paſſim ſaxorum fragmina, & unà
Jactat in inſontis concita turba caput.
At tunc inſonti poſtes reſerantur Olympi,
Tunc & ſupremi Principis aula patet.
Tunc ſtans in media Princeps patet arduus aula;
Et ſpectator adeſt militis ipſe ſui.
Qui ſibi ſic cœlum videt arridere ſerenum,
Nil hunc in terris ſaxea grando movet.

Ad Divum Thomam Apoſtolum, Dei ſervatoris latus tangentem.

NUminis attrectat redivivum dextera pectus,
Indice ut hæc poſſit tutior eſſe fides.
Tutius at multò deſiſtere: Si qua laborat
Explorare nimis, deſinit eſſe fides.
Illud erat fortaſsè auſum laudabile, ſi quem
Dive manu exploras, non erat ille Deus.
Hoc dum teſte fides petitur, ſapientior ille
Eſt animus, ſapiens qui minus eſſe poteſt.

Ad D. Petrum Cœleſtinum, ſe Pontificatu abdicantem.

SUmmum Romulei Patris nomenque, decuſque
Cùm te Petre videt ponere, Roma ſtupet.
Terrarum curis præfers tacita otia ſylvæ;
Atque uni certum eſt mente vacare Deo.

Si dum vita fuit, tractaſſes Orbis habenas
Semper, in orbe minus nobile nomen eras.
Sic ponens decus accreſcis; nam ſummus in Orbe
Nuper eras; ſummo jam quoque major eris.

E capite Divi Pauli abſciſſo lac emanat.

DUm Paulum obtruncat lictoris dextra, repente
Cernitur abſciſſum lacte ſcatere caput.
Tùm lictor quærens veſtigia cædis in enſe,
Nil enſem rubræ cædis habere videt.
Attonitus ſtetit; attonito ſimul excidit enſis:
Horruit & facinus pallida dextra ſuum.
Quò tibi lac? Matrem te lacte probare Neroni
Vis Paule? At matrem perdere & ille poteſt.

De Puero Jeſu, & Parente Virgine.

EX puero Matrem, Puerumque ex matre fatemur:
Hæc illum nobis, hanc ſimul ille probat.
Dùm Puer ille Deus; Virgo peperiſſe feretur;
Dumque parens Virgo eſt; eſt Puer ille Deus.

De nova Stella, quæ in Oriente ſub Chriſti Domini nativitatem apparuit.

PRodigiis certant tellus, atque æmulus Æther:
Illa ſuum pariter jactat, & ille ſuum.
Ignibus aſtra novis ditat ſua fulgidus axis,
Quos jubet Eois Regibus ire duces.
Numine ſed tellus gaudet ſub rupe latenti;
Jamque frui geſtit proximiore Deo.
Terræ igitur ſummum nunc æthera cedere fas eſt:
Prodigium tellus æthere majus habet.
Nam nova ſi multum eſt ſplendeſcere ſydera cœlo;
Plus erit obſcura in rupe latere Deum.

Divus Antonius Patavinus hominem olim occiſum vitæ reddit, ut is Antonii ipſius parentem de homicidio appellatum, innocentem abſolveret.

INterfecti hominis confiſto crimine quondam
Arguerat patrem lingua proterva tuum.
Tuque illum Antonî teſtaris, & edere linguæ
Mendacis fraudem, nequitiamque jubes.
Ille tuæ imperio vocis revocatus ab urna,
Funereaque umbra, teſtis adeſſe poteſt.
Teſtis adeſt, ſeſeque tuo è genitore peremptum
Jam negat, & crimen jam probat eſſe dolum.
Qualis at ipſe fores, qui vitæ lumine caſſum
Sic in teſtem animas, hic mihi teſtis erit.

Beatus Aloyſius inter publicè diſputandum ultrò olim labi, & errare voluiſſet.

OPtat Aloyſius doctæ in diſcrimine pugnæ
Vim mentis celerem diſſimulare ſuæ:
Ultròque hærere, & ſpeciem præferre labantis
Ingenii ſancto in pectore cura ſedet.
Abnuit at ſapiens moderator, cujus ad omne
Arbitrium ſeſe fingit Aloyſius.
Sic tu Dive tuo dimittis pectore votum;
Quàm ſic nolle decet, quod voluiſſe decet!

Ad Puerum Jeſum deliteſcentem in Præſepio.

QUid præſepe tibi? Sat erat veniſſe ſupernis
Sedibus, & noſtros incoluiſſe lares.
Scilicèt ut lateas, præſtet vel maximus orbis;
Parva tibi ſummo vix erit iſte, domus.
Sed nimis ampla putas noſtras, cunabula, terras;
Certum eſt & modicam malle ſubire ſpecum.
Pone modum immenſis humana ſuperbia votis:
Arcta homini tellus, & nimis ampla Deo eſt.

Ex variis ſcholaſticæ Theologiæ materiis deductum in Infantis Dei gloriam argumentum.

Ex materia de Divino Verbo Incarnato; unde jam pridem Theologici ſtudii curriculum fueram exorſus.

DUm ſacræ ingredior penetralia Palladis, ipſo
Occurrit rerum in limine Numen homo.
Illius arcanas meditari ænigmatis umbras
Lex, & doctrinæ nobilis ordo jubet.
At tu, qui nunc ærumnis brumalibus alges,
Da mihi te penitus diſcere dive Puer. (mam,
Nil moror, utrum hominum dum fas tibi ducere for-
Et formam liceat, quæ ratione caret.
Quorſum id: num qui naturam Deus induis unam,
Poſſis & plures conſociare tibi?
Hæc fuerint aliis certantis acuta paleſtræ
Bella, parum ſolidæ quæ mihi frugis habent.
Diſcam ego, quod facile eſt, quod & utile, quod Deus
Blandius ut doceas, incipis eſſe puer. (ipſe
Ignorem quamvis doctorum dogmata, verè
Verbum amo dum valeam dicere, doctus ero.

Ex materia de Beatitudine.

SPlendida qui poſſint animorum vota beari,
Lis, & priſcorum in Gymnade cura fuit.
Jam res ante oculos: parvi ſub culmine tecti
Qui jacet, atque alget paruulus, ille beat.
Sufficit ille hominum votis ingentibus unus,
Quem ſpecus agreſtes protegit inter oves.
Detumeas tandem mundi ſapientia, rerum
Cùm te tantarum noveris eſſe rudem.
Cecropiis plus porticibus, meliuſque Lycæo,
Paſtorum, & pecorum nos domus una docet.

Ex materia de Virtute Religionis.

MEmnonii properant Reges, ut nobile nato
Exhibeant Puero relligionis opus.
Dant auri pretium dona inter cætera, Regi
Dant famulum imperium, dant ſua ſceptra Deo.

Et Deus hæc amat, eductoque per aera ſigno
Ipſe hæc acceſit regia dona ſibi.
Tanti relligio eſt: Qui ſpernere venerat aurum;
Aurum relligio cùm dat, amare poteſt.

De Religioſæ Paupertatis voto, cùm Magorum Regum muneribus comparato.

COnveniunt Proceres, Cœlo ſuadente, Sabæi;
Dantque aurum,& myrrham,dant pia thura Deo.
At tu plus dederis, dum paupertatis amore
Unum te præter, nil dare poſſe velis. (Sed qui
Dant, quod habent quicumque Deo dant munera.
Nil dare poſſe volunt, dant & habere ſimul.

De Innocentibus Pueris ab Herode necatis. Ad Puerum Jeſum.

QUot ferro pueris, totidem tibi vulnera voto
Alme Puer ſævi Principis ira facit.
At finis, hos cædi pueros, te ſoſpite, proſit
Quò ſua mors pueris, quò tua vita mihi.
Stat prodeſſe mihi vitâque, & morte cruenta:
Quò vita proſis, ſtat modò nolle mori.
Vivendo fies vitæ mihi norma; perennem
Sed vitam ut valeam vivere, morte dabis.

Beatus Aloyſius dum publicas Philoſophiæ diſputationes haberet, oppugnanti, qui in Gonzagæ familiæ laudem proluſerat, ſubiratus reſpondit.

INgreditur Gonzaga forum, & clamoſa Lycæi
Diſſidia, argutis exagitanda modis.
Stant hinc,atque hinc qui docti ad certaminis æſtum
Pugnaces animos, ingeniumque parant.
Adfuit at denſo venit qui ſpargere vulgo
Nomina Gonzagæ, magnanimumque genus.
Rettulit ille Atavos, totamque ex ordine gentem;
Rettulit horrendos Martis in arte duces.
Feſtiuum Gonzaga ſuâ de laude theatrum
Protinùs ut ſenſit fervere, corde dolet.

Quis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quin etiam injuſſi rapidâ inter ſigna ruboris
Emicat ingenuo nobilis ore dolor.
Ipſe gravis voce, & reſponſis turbidus inſtat;
Certandi ſtudium donec utrinque calet.
Ac laudatori infenſus prope cernitur eſſe,
Nec tormenta ſuæ laudis inulta ſinit.
Scire piget, quantum certamine mentis in illo
Ingenium exhibuit victor Aloyſius.
Iraſci nam qui laudanti novit, & ipſis
Laudibus; humano major hic ingenio eſt.
Summa aliis fuerit virtus contemnere laudem:
Oſor Aloyſius laudis, & ultor adeſt.

Ad Divam Catharinam Senenſem, quæ duplici corona ſibi à Chriſto oblata, ſpinea nimirum, & aurea, ſpineam apprehendit.

SEdibus è ſuperis nota ſub imagine ſponſus
Æthereus quondam viſus adeſſe tibi:
Alteraque ipſius præfert manus aurea ſerta;
Altera dùm præfert ſpinea ſerta manus.
Id cape, quod libeat Virgo, inquit; deſpicis auri
Tu pretium, atque tibi ſpinea ſerta capis.
Spinea ſerta capit quiſquis capit aurea; ſed tu
Spinea cùm capias, aurea ſerta capis.

Cùm Populus Romanus Pio Quinto viventi ſtatuam erigere vellet in Capitolio, à Sanctiſſimò Pontifice prohibetur. Ad Beatum Pium.

SÆpe tuis ſtatuam meritis, ſpectabile donum,
Dùm Capitolina meditantur in arce Quirites;
Abnuis humani magnus contemptor honoris.
Marmoreis ſignis, atque ære perennior ipſo
Hic contemptus erit: tenet, æternùmque tenebit
Roma tuum ſpreto quondam pro marmore nomen;
Inque animis ſtatuam ponet tibi fama futuris.

De navali prælio, quod contra Turcas Beatus Pius commiſit.

FLuctibus Joniis fervet navalis Enyo
Inter Chriſtiadas, Treicioſque Duces.
Noſter & immani miles jam prævalet hoſti:
Jam freta Biſtonio ſanguine miſta rubent.
Hæc vento ratis, at violentis fluctibus illa
Quaſſatur, cæcis figitur illa vadis.
Sic datur hoſtiles tandem proſternere vires;
Prælia dum nobis ventus, & unda gerunt.
Fallor: bella gerunt nobis non ventus, & unda;
Quin miles nobis bella nec ipſe gerit.
Sidera dum votis, precibuſque potentibus urget,
Ipſe Pius Thraces vulnerat, ipſe necat.
Imminet abſenti ipſe abſens, atque ingruit hoſti:
Abſentemque hoſtis non timet, & patitur.

Selimus Turcarum Tyrannus ob acceptum nuncium de Pii morte vehementèr cùm ſuis exultat.
Ad Beatum Pium.

LÆtitiam, feſtoſque tuo prò funere luſus
Elati celebrant ſævo cum Principe Thraces.
Quis cauſam ignoret? Fuerant te ſoſpite triſtes;
Et ponunt miſeros, te nunc moriente, dolores.
Mors felix, multumque vel hoc laudanda, quòd eſſe
Threicio potuit votorum ſumma Tyranno.

Idem Argumentum.
Ad Beatum Pium.

NOn tua Biſtonius decoraſſet funera Princeps,
Si lacrymis decorare ſuis voluiſſet; honoris
Plus habet interitus, ſævo ridente Tyranno.
Sic amet efferri probitas, ſi quandò periret;
Ut riſu improbitas, illius funus adornet.

Dium

Divus Philippus Nerius poſt Beati Pii mortem accepto ejus calceo plurima patrat per illum miracula.

Ad Beatum Pium.

ANte fuiſſe tuo quæ fertur nobilis uſu,
Nobilis ab domino nunc quoqne aluta novo eſt:
Vertere jamque poteſt naturæ jura potentis;
Virtutique jubet cuncta ſubeſſe ſuæ.
Tanta tuâ quamquàm haud geſtit miracula dextrâ:
Attamen inde tuus non minor extat honos.
Magnum eſt, ſic decoret dominũ quòd calceus unũ;
Plus eſt, ſic decoret quòd ſimul ille duos.

Divæ Catharinæ Senenſis inter domeſtica miniſteria alienato ab humanarum rerum imaginibus animo corpus illæſum ſuper ignes diù perdurat.

ANte focum, carnes torrens, ſpirantiaque exta,
Corporeis Virgo ſenſibus eximitur.
Hinc velut exanimum medio procumbit in igne
Corpus, eique rapax parcere flamma poteſt:
Mens exempta olim ſi corpore, mira videbat;
Dùm redit in corpus; tum quoque mira videt.

Beatus Aloyſius dolet, ſe rapuiſſe olim per puerilem ludum nonnihil pulveris tormentarii è militis theca.

PEr ludum erepto, ſtruitur qui martis in uſum
Pulvere, ceu magno crimine ſæpe doles.
Scilicèt haud majus, quamvis vel lumine lynceo
Quæſitum arcano in pectore crimen erat.
Qui fueris Gonzaga, aliis tua maxima virtus
Eſto index; at me vel tua culpa docet.

Chri-

Chriſtus Dominus à ſævis militibus capitur: eos voce percellit, ac ſternit; & Malcho auriculam reddit.

LIctorum glomerata cohors ſub nocte ſilenti
 Apparat inſidias, interitumque Deo.
Haud mora: ſepta ardens penetrat feralis agelli,
 Quâ divo expreſſus fluxit amore cruor.
Pars faculas præfert; pars imminet horrida contis;
 Pars manicis Numen, compedibuſque premit.
Preſſa tamen ſuperat, regnat captiva poteſtas;
 Æternique viget Numinis imperium.
Indicat hoc una tremefactus voce ſatelles;
 Et quæ tota ſimul turba ſupina ruit.
Indicat, auriculam mutilatus vindice Petro
 Miles, in inſontem cum tulit arma Deum:
Hujus enim facilem nactus pro vulnere dextram
 Senſit, & in laqueis quàm foret illa potens.
Quippe nihil non illa tenet; ſceptrumque ſupernum
 Excutere ex illâ vincula nulla valent.

Divus Ignatius Loyola ad ſeptem interdùm dies omni cibo abſtinens jejunia protrahit.

LOyola arcanis divini flagrat amoris
 Æſtibus: inde libens aſpera quæque ſubit:
Fraudat & inde famem victu quandoque vel omni;
 Septenoſque audet ſic numerare dies.
Quippe videt, nova tentandum ſibi bella, ubi miles
 Infirmo qui ſit corpore, victor erit.

Ad Divam Catharinam Senenſem, quæ ſæpe, & familiariter Chriſtum alloquitur.

SÆpe agis, atque diu ſummo cum Numine; non eſt
 Hoc hominum ritu vivere, ſed superûm.
Quam ſuperûm ſimilem in terris facit æmula virtus;
 In terris ſuperûm vivere more decet.

Ad Divum Petrum de Alcantara, dono altiſſimæ contemplationis, & admirabilis pœnitentiæ divinitus inſignitum.

ARdua tendit iter cœlo Jovis ales aperto,
Solis & intrepido ſuſtinet ore jubar.
Sic mentem tu Petre levas & figis in altris;
Et mortalis adhuc, civis es ipſe poli.
Haud obſtant tibi corporei retinacula ſenſus;
Haud te corpus habet, tu magis illud habes:
Quippè illud ſubigiſq; frequens, domitaſq; premendo;
Cæterà mens, tantùm hoc nomine corpus habes.

Divus Ignatius arcanos animorum ſenſus, & crimina intuetur.

E Doctus Loyola ſuperno Numine mentem,
Arcanas hominum novit adire fibras.
Sentit & occultas fraudes, ſcelerumque receſſus;
Quodque uſquam valeat nemo videre, videt.
Ne tamen Ignati è vultu procul eſte profani:
Crimina non unquam ſic patuiſſe nocet.

De Eccleſiaſtico, ut Theologi appellant, Indulgentiarum theſauro.

THeſaurum hunc fuſo ditavit ſanguine Numen;
Et pœnis, Divûm turba decora ſuis.
Hunc Petri nobis potis eſt recludere clavis,
Spargat ut innumeras clave recluſus opes.
Supplicium debet quiſquis pro crimine, totâ
Has modò quærat opes, mente, ſolutus erit.

Idem argumentum.

QUàm facilè indulges miſeris Deus! Aſpera nobi[s]
Nomine multiplici pœna luenda foret.
Eſſe crucem tamen ipſe tuam, pœnaſque tuorum
Pro nobis pretium, ſubſidiumque jubes.
Sæpe hinc, & multum nobis ignoſcitur; atque hi[nc]
Copia nos dites ſæpe aliena facit.

Idem

Idem argumentum.

THeſaurus quantū tenet hic pretiumque, decuſque
Cui collata omnis copia ſordet inops!
Hunc Luther rabidâ invadat licèt impius irâ:
Invadant furiis Tartara tota ſuis:
Theſaurus cæli eſt, cæloque tuente manebit.
Hinc vaſtatrices non timet ipſe manus.

Idem argumentum.

PRoh clemens, ipſâque paternum Numen in irâ,
Quàm nos vel pœnas cum dare cogis, amas!
Sæva ardere jubes imis incendia terris;
Per quæ animus labem ponat, & aſtra petat.
Crimina noſtra quidem per eos ulciſceris ignes;
Expiet ut vitæ crimina pœna ſequax.
Aſt ipſam, tua dum datur indulgentia, pœnam
Longinquam nobis eſſe, gravemque, vetas.
Pœnam ergò infligens longe plus parcis: & ultrix
Si tua juſtitia eſt, tu tamen ultor amans.

Idem argumentum. In Martinum Lutherum, conantem indulgentias omnes de medio tollere.

IMprobe theſaurum hunc olim Martine negabas,
Futile ceu nomen, ceu nihil ille foret.
Magnum ille eſt aliquid, quin ſi componitur illi,
Vix aliquid, pretium quodlibet eſſe poteſt.
Eſt gemmis, longè eſt auro pretioſior omni:
Semper erit miſero ſed nihil ille tibi.

Indulgentiarum theſaurus per auri venam in terræ viſceribus ab illapſu ſolis procreatam figuratur, hac epigraphe adiuncta: Ab alto pretium.

NAſcatur quamvis aurum tellure ſub ima,
Illius ab ſole eſt & nitor, & pretium.
Qui ſacer, & quovis pretio preſtantior auri eſt,
Et facilè cunctas eminet inter opes;

Hic pretium ducit theſaurus Numine ab alto:
Inde illi virtus omnis, & omne decus.
Hoc tu theſauro ſis dives, & omnibus olim
Cæſaribus longe ditior unus eris.

Divus Ignatius intermortuis vocibus Jeſum identidem appellans, mortem placidiſſimè obit.

SUpremâ emeritus Loyola laborat in horâ;
Atque animam, ſuperos mox aditurus, agit.
Ingeminat Jeſum moribunda voce; neque ullum,
Hoc præter, ſacro nomen in ore ſonat.
Quàm bene, Dive, tuæ mors vitæ concolor iſta eſt.
E vitâ didicit vox moribunda loqui.

Ad Divum Franciſcum Borgiam, egregium humanarum rerum contemptorem.

IMa putas, quæ ſtultè homines mirantur; at illa,
Quæ ſtultè rident, Borgia, ſumma putas.
Hoc primùm ſapere eſt ſecernere ludicra veris;
Reſque ſuis omnes annumerare locis.
Sic ſapiens tu vera voves tibi culmina; cumque
Ima premis, certo tendis in alta gradu.

Ad Eumdem. De piâ ejus animi demiſſione, qua ſe nihil eſſe exiſtimabat, & perſæpe dicebat.

MAgnus es, & major quoq; dum te deprimis; & dũ
Te nihil eſſe putas, Borgia, maximus es.

Chriſtus Dominus ad Divuam Catharinam Senenſem: Tu de me cogita, inquit, ego de te cogitabo.

SI mens, ô Virgo, de me tua cogitet (inquit
Numen) erit de te ſedula cura mihi.
Quàm bona curarum hæc homini cõmercia; nempe
Ipſe homo cura Deo es, dum tibi cura Deus.

Idem

Idem Chriſtus Dominus ad Eandem: Auſtera pro dulcibus dulcia pro auſteris habeto.

AUſterum quod erit, virgo, tibi dulce putabis;
Rurſus & auſterum, quod tibi dulce fluet.
Sic Numen. Sed nugæ hæc ſunt, & fabula mundi
Senſibus: hos contra qui ſapit, ille ſapit.

Beatus Aloyſius fœminarum hoſtis dictus.

FÆminea ſemper ora bene pavens vitat
Gonzaga, ceu blandam luem, & malum pellax.
Hinc fœminarum dicitur ferox hoſtis.
At nobile ò convicium, ò decens probrum,
Bona ò ferocitas; fuga, & pavor fortis.

Heba Virgo ne barbaris petulanter in eam irruentibus ſpecioſa nimis placeat, ultrò ſibi nares abſcindit.

QUi fucum, & veneres requiris omnes,
Laſcivæque ſtudes procacitati;
Hebæ ſuſpice dexteram cruentam.
En totam generoſa virgo formam
Devaſtat ſibi naribus reſectis.
Inceſtis hominum, maliſque flammis
Integro metuens placere vultu,
Hæc per vulnera diſplicere tendit:
Ut vi, & barbarie imminente quondam
Sacro ſtrenua conſulat pudori:
Conſtentque exitio extimi decoris
Arcanæ pretium, decuſque mentis.

Ad Franciſcum Borgiam, viſo Iſabellæ Imperatricis cadavere de ſanctioris vitæ inſtituto ineundo agitantem.

DUm regnatricis tibi, Borgia, triſte cadaver
Obiicis, ex illo jam meliora ſapis.
Profuerit tibi regnatrix, dum vita manebat;
Exanimis prodeſt attamen illa magis.

EPIGRAMMATON LIBER II.

SAcra ſuperior habet libellus. Ea porrò, quæ humanos informare mores videntur aliquatenus poſſe, tanquam proxima à ſacris, huc diſtuli. Et quidem vitæ, morumque inſtituta non ineptè ſuo nobis ſtylo porrigit quandoque Epigramma, cujus ſuccoſa brevitate compactum, & quaſi conditum, ſi quid apponitur, rapaciùs capit animus, & traiicit altiùs, & fideliùs tenet. Rectè Horatius noſter: quidquid præcipies, inquit, eſto brevis: etenim quantumvis maximum ſit, quod præcipis, minus quodammodò videbitur aut oneris, aut ærumnæ habiturum, dum minimum fuerit, quo præcipis. Hòc etiam fortaſſe (licèt præceptionum frequentiâ, & quadam cenſuræ quaſi intemperantiâ ſuperbus) jucundiſſimus tamen eſt Seneca, quòd non effuſa, & latè ſpatiante, ſed preſſa, & vibrata, & ſilentii quàm ſimillimâ locutione præceptorem agit. Novimus, maximè idonea ad præcipiendum illa demùm eſſe, quæ cùm minimè loquantur, multùm oculis patent, nihil auribus ſonant, exempla.

Poe-

Poeſeos de impuris poetis querimonia.

VIrginibus ſacer eſt Helicon: Permeſſidos, ipſo
  Novit & argento purior ire liquor.
Quin ego ſum ſacris natalibus orta Poeſis,
  Et modulis primùm docta ſonare piis.
Quid me corda profana, nigrique lutatis olores?
  Migrate hinc Paphiâ cùm meretrice procul.
Non meus ille decor, quem veſtra appingitis arte, eſt;
  Proſtat enim fuco turpiter ille ſuo.
Sed qui ſpectandum, pariterque pudore verendum
  Seſe animis offert, eſt decor ille meus.

Theodoricus in oppoſito ſibi ad menſam piſce Symmachi caput à ſe interfecti intueri ſibi viſus eſt: unde portento exterritus moritur.

SYmmachus occiderat veſani principis irâ,
  Quem penes inſtar erat criminis eſſe pium.
Mox patulam ſuprà lancem dum piſcis edenti
  Porrigitur, pavido barbarus ore ſtupet.
Nempe putat caput inſontis, vultuſque cruentos;
  Plurimus & cordi Symmachus ultor ineſt.
Terribiles ſcelerum morſus, arcanaque mentis
  Ultio non ullo eſt parcere docta loco.
I fuge, tranquillis & te ſeceſſibus infer,
  Aut ubi læta cient vina, epulæque jocos.
Non geniale ſolum, non vina, epulæque, jocique;
  Ut ſe dediſcat mens ſcelerata, dabunt.
Ipſa tuum ſibi vina intèr, charitumque lepores;
  Cætera ſi parcant, obiicit eſca nefas.

Moſes latro, poſtea monachus.

E Latrone fui Monachus, mox ipſe caveto,
  E monacho fias (nam potes eſſe) latro.
E vitio in virtutem arctiſſima ſemita; ab illa
  In vitium contrà, quæ patet, ampla via eſt.
Cogitet & monachus Judam, & Moſem latro; ne ſtet
  Moribus ille ſuis, perſtet ut ille ſuis.

Ad Alexandrum ſeptimum ſummum Pontificem, qui ſuum ſibi feretrum extrui, & ob oculos poni jubet.

QUàm benè dum ſummas rerũ moderaris habenas,
Sit tibi prompta tui funeris urna, jubes.
Illius objectu tua fata putabis; ad illam
Compones ſapiens ſobria vota domum.
Mors vitam inſtituet meditata; & morte magiſtrâ
Addiſces olim, ne moriare, mori.

Idem argumentum.

HEroem jactat nil ſe mortale paventem
Magnus Alexander, numinibuſque parem.
Hiſque animis martem mortis ſecurus in omnem
Fert ſeſe; nèc vim, nec timet ipſe dolos.
Major Alexander ſed tu monumenta requiris
Mortis, & ultrò oculis ingeris illa tuis.
Illic & reputas, de rerum culmine ſummo
Quàm ſubitò in tenuem ſis rediturus humum.
Diſcordant in utroque animi ſenſus; ſed utrinque
Indicium ut capiam, tu ſapis, ille furit.
Ille minor nobis inde eſt, & barbarus ille.
Hinc nobis major tu, propiorque Deo.

Marius per compita victæ olim à ſe Carthaginis panem emendicat.

ARpinas olim domitor Carthaginis altæ
Exiguam miſero flagitat ore ſtipem:
Quodque magis miſerũ eſt, illi nunc ſupplicat urbi,
Quam victrice ſibi ſubdidit ante manu.
Exorat, domitæ ut panis dent fruſtula gentes:
Victor & hoſtilis nunc pietatis eget.
Tu tamen in Marium pia ſis Carthago, redemptum
Si pietate velis dedecus eſſe tuum.
Hanc fortuna tibi cum porrigat, arripe laudem;
Victori ut poſſis parcere victa tuo.

Pom-

Pompejus poſt Pharſalicam pugnam, Lariſſam ingreſſus communi civium plauſu excipitur; quem ipſe plauſum, utpote non ſibi devicto, ſed victori Cæſari debitum generosè detrectat.

Cum Lariſſæam victus ſuccedit in urbem
  Pompejus, tota plauſus in urbe ſonat.
Ne nobis ſed Magnus ait, ne plaudite cives;
  Feſtivus clamor Cæſaris arma decet.
Quamvis in minimo victoris jura tueri
  Qui potuit, victor quàm fuit ille ſui!
Scilicet & magnus conſtat poſt aſpera fata;
  Seque etiam victus dedidiciſſe nequit.
Hic magnus, quem vel fortis dum turbine ſpectas
  Alliſum, valeas dicere: magnus hic eſt.

De Ponte Ælio, quem Romæ videmus tum ſtructurâ, tum ſtatuis inſignibus exornatum.

Eminet egregiâ ſtructus pons Ælius arte;
  Cui ſtatuæ apponunt nobile utrinque decus.
Tuque hæc Tybri pater rerum miracula cernis;
  Nec tamen attonito gurgite ſiſtis aquas.
Scilicet irrequietus amas neptunia regna:
  Donec eo venias, neſcius uſque moræ es.
Quin genus humanum fluvios imitamur euntes;
  Quando & deficimus more fluentis aquæ?
Alta manent nos, & pluſquàm neptunia regna;
  Nos adeo tamen hæc ludicra, & ima tenent.

De Cimonis filiâ, patrem in carcere devinctum, & fame propemodùm enectum papillis nutriente.

Æger, inopſque Cimon ſqualebat carceris umbrâ;
  Cœperat & miſerum longa necare fames:
Cum vitæ auxilium patri opportuna cadenti
  Fæcundo ingrediens ubere nata tulit.
Conſtat ubi hoc factum, fertur ſententia: par eſt,
  Ut patrem proles afferat iſta ſibi.

Qui tantam genuit prolem, non carcere debet,
Tortorum aut ferro, ſævitiâque mori.
Sic lacte, & merito pariter lactantis amoris,
Bis vetuit patrem nata perire ſuum.
Nata, ſemel vitam accepit, bis reddidit: ergò
Plus aliquid natæ debuit ipſe parens.

Nabuchodonoſor in quadrupedum formam vertitur.

IMpius affectans laudes, & numen Olympi
Edicit Princeps thura, preceſque ſibi.
Dat ſeſe in ſtatuæ ſpeciem, immaniſque coloſſi;
Dehinc populi circùm fervere vota jubet.
Aſt abit in pecudum plebem, taciturnaque monſtra;
Quem ſtare humano fine, modoque piget.
Et qui ſe cælum ſupra pugnaciter effert,
Humana inferior conditione jacet.
Ad mentem rediit ſic denique, qui procul à ſe
Demens, atque ſui neſcius ante fuit.
Mira potes, miriſque modis Deus: ut reparet cor
Rex vecors, per te cogitur eſſe pecus.

Viri ſapientis adverſus fortuita conſtans animus.

COnſternare humiles animas, expertia cordis
Pectora vel vultu ſors inimica valet.
Vir ſapiens nullo fortunæ ſternitur ictu;
Namque ſibi, & menti conſtat ubique ſuæ:
Seque uno armatus, ſe milite, ſe duce caſum
Præcelſæ potis eſt vincere mentis ope.
Sæpe illum allidit fortuna, ſed ipſe jacere
Abnuit, obnixo belligeratque genu.

In obitu Illuſtriſſimi Domini Gherardini, cauſarum apud Senenſes Quæſitoris: quem verè non abiiſſe poſt aurum, mira ejus poſt mortem paupertas monſtravit.

Quæſitor cauſas decernis, juraque reddis
Gherardine, venit cùm tibi ſumma dies.
Tunc tua pauperie, comperta eſt nobilis arca;
Tunc patuit, fuerint quæ tibi mentis opes.
Utque auri tibi contemptus pretioſior auro,
Ut melior fuerit copia habere nihil.
Decedis pauper; ſed & hinc memorabilis auctor
Maxima deceſſu das documenta tuo.
Nempe doces hoc verum: Aſtrææ in lancibus æquis
Aurum nullius ponderis eſſe decet.

In maledicum, cujus omnes maledicentiam reformidant.

Quis te ſat caveat, quando ſine cuſpide, & ictu
Nec verſus, nec vox excidit ulla tibi?
Pervellis, carpis, mordes, ſalibuſque malignis
Sæpe vel inſontes, & benefacta notas.
Cum timeas nullum nulli non ipſe timendus,
Hoc ſaltem, heu nimiùm quòd timeare, time.

De equorum exercitatione.

ERudit hic tenerum generoſo incedere greſſu;
Atque pati frænos ore magiſter equum.
Et leviter flecti, leviuſque ſubinde reflecti;
Suſpenſoque ſtatim ſe cohibere gradu.
Hic ſtimulo laterum monitore ſub aera primos
Pullus agit docilis terque, quaterque pedes.
Alterniſque alius metitur cruribus æquor,
Explicat & certas lege, modoque vices.
Unius arbitrio virgæ, pernicibus curis
Æmula puluercam hic ungula plaudit humum:
Sic mores capit, obſequiumque, arteſque docetur,
Quantumvis excors, & ſine mente pecus.

Ipſa

Ipſa hominem objurgant animalia muta magiſtrum:
Tu tibi nos, ſed te non tibi ſubdis homo.

De aquarum ludis, qui Romanis in hortis exhibentur.

QUòd facili laſcivit aquâ fons vivus in hortis;
Quòd trepidat varias ire, redire vias;
Quòdque inopinato geſtit prorumpere plumbo,
Fallat ut incautas improba lympha togas:
Exiliunt juvenes fallaci humore madentes,
Prodigaque in riſum plurima turba fremit.
Lympha fugax, vitæ typus eſt fugientis; & ipſa
Securos, mortis nos elementa monent.
At mortale genus tam non ſapit, ut ſibi vertat
In ludum mortis vel monimenta ſuæ.

Ad Alexandrum Macedonem, qui ait, velle ſe Diogenem eſſe, niſi foret Alexander.

DIogenem teſtæ dum cernis in orbe latentem,
Diceris invidiâ nobilitaſſe tuâ.
Diogenes fieri velles, & ſorte beatus
Exiguâ, ſi non magnus in orbe fores.
At tua te Macedo fallit ſententia: ſi eſſes
Diogenes animo, major in orbe fores.
Eſt orbis modicus tibi, tuque es magnus in orbe;
Si valeas Magnum vincere, major eris.
Par tibi nil vinces, ſi te non vincere poſſes:
Sed te Diogenis vincere mente potes.

Tempeſtivâ hilaritate auſteritas nimia mollienda.

GEns ſalebroſa nimis, tetricæ devota Minervæ
Solve opportunis frontem, animumque jocis.
Laudatur Cato, quòd poſuit quandoque Catonem,
Haud ità laudandus, ſi Cato ſemper erat.

Quale ciborum condimentum utiliter, ac laudabiliter petendum ſit.

NOn locus, aut pretium, aut ars, ingeniumq; saporũ,
Sed labor, & pulvis fercula grata parant.
Te penès eſt cœnas lautorum vincere, quamvis
Ipſe Numæ ſerves, Fabritiique modum:
Exacuas, multoque famem ſudore laceſſas;
Et miſero æquabis pane vel ambroſiam.

Lunæ Eclipſis.

QVæ fax noctis erat; rapuit dum terra maligno
Oppoſitu ſolem, Cynthia luce caret.
At noſter denſâ hinc premitur feraliùs umbrâ
Orbis, & extemplo nox geminata venit.
Sæpe fit auctori ferale injuria damnum:
Quique aliis nocuit, plus nocet ille ſibi.
Dum Lunæ rapuit Solem; hanc pariter ſibi noctem,
Quam Lunæ fecit, terra maligna facit.

Ex Narciſſi fabulâ documentum.

NArciſſo riuos ludenti propter aquarum
Narciſſi faciem vitrea reddit aqua.
Seque videns Narciſſus amat, ſubituſque videnti
In mediâ exarſit Cypridis ignis aquâ.
Dic ubi tutus ages æuum, cùm Cypridis ignis
Improbus in mediâ ſit metuendus aquâ?

Repentino venti flatu exorto regale olim diadema ab Alexandri capite abripitur, & in ſumma locatur harundine.

VEntus Alexandri de vertice ſubmovet, inque
Vertice arundineo mox diadema locat.
Aſt ipſum diadema è regis vertice lapſum
Hæc in arundineâ ſede movere putes:
Sum fronte ex magnâ deiectum, ſed videat mox,
Quò me turbo tulit, qui videt, undè tulit.

For-

Forſitan excuſſum credat me ſede priori ;
Fallitur : eſt idem, qui fuit ante locus.

Ad Juvenum cœtum, literarum ſtudiis vacantium, & nimis gulæ indulgentium.

Palladii Juvenes curando abdomine totum
Haud æquum vos eſt hic agitare diem.
Spumantes pateras, jentacula, prandia, cænas
Aſſiduo veſtrum quilibet ore crepat.
Convenit in medium collecta pecunia, caupo
Conſulitur; fumans inde placenta venit:
Aut avis, aut cæsâ conferta tomacula porcâ;
Sive aliud ventris gurges avarus amat.
Luce fit hoc primâ, & medio dum tramite Phæbus
Ardet, & occiduo dum tepet hora die.
Hæc ego cum videam; quod fertur dira Cæleno
Prodigium, verò majus an eſſe putem?
Quæque voraginibus cupidis hiat atra charybdis,
An mihi erit veſtra laxior ingluvie?
Sit pudor ò Juvenes : Parnaſſi non juga ſcandit,
Dum nimiâ premitur vita, animuſque dape.
Nec vos fingendos magno dabit eſca Lyceo
Multa, ſed in multis nox vigilata libris.
Et Cererem nimiam, & nimium dimittite Bacchum,
Cum rigidâ ut vobis Pallade conveniat.

Horologium cryſtallinum arenarium.

Pulvis ego, urna mihi cryſtallina, temporis ex me
Diſce fugam ; at pretium te ſatis urna docet.
Et pretioſum eſt, & fugitivum tempus ; inertes
Si jam horas ducis, bis mihi ſtultus eris.

De illius errore, qui ſe tragædiis intereſſe jugiter putabat; cumque mentis ſanitatem recepit, voluptatem ſibi ſuam protinus ereptam indoluit.

Eſt qui mirandos ſeſe ſpectare tragædos,
Orcheſtram, & Thymelen nocte, dieque putet.
Stultitiæ genus: aſt illam medicamine multo
E cerebro præſens pellit amica manus.

Red-

Reddita dehinc ſtulto ſapientia diſplicet; atque
Ipſe ſibi mentem non rediiſſe velit:
Quippe erat eluſo fallacia dulcis; & error
Præſtabat liquidos, & ſine fæce dies.
Tum ſeſe miſerum queritur, quòd rapta voluptas,
Rapta theatralis quòd ſibi pompa foret.
Quàm delirat adhuc, ſtultus dum deſinit eſſe!
Huic ſapere ingratum eſt: non ſapit ergo miſer.

De Umbellâ ſub pluvio Cœlo adhibitâ.

SOlem homini fuerat defendere priſtinus uſus
Umbellæ, at pluvias nunc quoque vincit aquas:
Hæc prætendit enim ſibi quiſque umbracula civis,
Effuſo quoties Jupiter imbre ruit.
Symbolum amicitiæ cives hinc diſcite, namque
Expreſſum hæc vobis, credite, tela gerit.
Non adſit modò, fortunæ per aperta ſerena,
Verùm & nimboſo ſub Jove, quiſquis amat.

Manlius è ſaxo Tarpejo, ubi Gallos vicerat, præceps deiicitur.

UNde prius vicit victores Manlius hoſtes,
Hinc idem, populo præcipitante ruit.
Quo patrias ſervaverit opes, Gallumque ferocem
Perdidit, hoc pariter perditur ipſe loco.
Proh ferale malum! decorum monumenta priorum
Eripere exitio non meruere virum.
Nempe ſcelus nimis affectavit in Urbe nefandum,
Subdere molitus Romula colla ſibi.
Humanas quàm pervertis victoria mentes!
Quàm ſperare jubes quodlibet uſque nefas!
Manlius infelix perit hac, ubi vicerat, arce;
Quin hac quòd nuper vicerat arce, perit.
Si non viciſſet, notis non ille ſuperbis
Noviſſet miſeram commeruiſſe necem.
Felices nos ſæpe facit ſors aſpera; rurſum
Sors facere & miſeros ſæpe ſecunda poteſt.

In illuſtrium virorum obtrectatorem.

GRandia proſcindis cur nomina? forſan ut iſtâ
Grandius eveniat nomen ab arte tibi.
Nomen eris magnũ. Sed quid tibi proderit unquam;
Si magnum, atque malum denique nomen eris?
Fallere qui poſſit vivens, morienſque, videtur
Is meliore mihi conditione frui. (nanque
Ergo bonam, haud magnam famam appete, ſi mala
Fama eſt, pejor erit, quò tibi major erit.

De Thermis Antonianis.

HEu quantum humanis dominantur ſecula rebus!
Heu quanta eſt mundi clade ſuperba dies!
Hic ubi ſunt veterum diſiecta cadavera rerum,
Romanis regnum luxibus ante fuit.
Thermæ nomen habent; at non cum nominis umbrâ
Quæ fuerant olim culmina celſa, manent.
Non laqueata domus ſupereſt, non tecta; neque ullũ
Nunc decora indicium tanta fuiſſe docet.
Regna gerunt virides ſuper æquora nuda lacerti:
Et prata, & muros poſſidet herba rudis.
Denique fit ludis puerilibus area, ſedes
Quæ dominis fuerat luxurioſa ſuis.
Luditur hic diſco certatim, & folle, pilâve,
Et juvenum quidquid vis, animuſque valent.
Hæc ſuper excidia, hos inter liceat mihi ludos
Dicere: quàm verè ludit in orbe Deus!

Idem argumentum.

TAntarum quicunque vides molimina rerum
Diruta, & exitiis ſemiſepulta ſuis;
Hinc tandem erudias pectus contemnere quidquid
Annorum abripitur, diripiturque fugâ.
Manſurum manſura decent. Fedaris amore,
Curuus amor nimiùm ſi tibi reptat humi.
Ne cura, votoque tuo dignare, quod ipſe
Scilicèt ipſo te videris eſſe minùs.

In Atheum.

TAm pulcher cum ſit, numeriſq; ligatus hic orbis,
Nonnullus nullum cenſeat eſſe Deum?
Molem hanc nonnullus nullo eveniſſe creante,
Stare & adhuc nullo poſſe regente putet?
Orbe Deum ſi teſte neget quis credere, at ipſum
Serò nimis credet teſte Acheronte miſer.

Vade ad formicam ò piger. Proverb. 6.

QUi languore jaces, marceſque ignobilis oci,
An fieri indeſes mente, manuquè cupis?
Conſule formicam, quæ non incauta futuri
Ipſa ſibi ante hyemem proſpicit, & ſenium:
Sedula pulvereum per iter, cælique ſub æſtu
Quærit, & annonam ſub ſua tecta vehit.
At quid me curas juvat accerſire morantes,
Et feſtinato velle labore premi?
Cras (inquis) ſapiam; præſentem juſtiùs horam
Adſciſcit genio laxa juventa ſuo.
Craſtina, crede mihi, nimiùm ſapientia ſera eſt,
Et ſine fruge venit, quæ tibi ſeia venit:
Te miſerum veniens, non te facit illa ſagacem;
Non venit, ut ſapias illa, ſed ut doleas.

De puero procul à bonarum artium ſtudiis mollem nimis, & luxurioſam vitam agente.

QUis puer hic nimiùm concinnus, cujus & omnis
Dedita curandæ eſt mens, & opella cuti?
En florum, & Charitum ſtudioſus nectare ubique,
En ſimul ambroſiâ quærit ubique frui.
Nec niſi cenſuram ſpeculi, tonſoris & artem
Conſulit, ut vultus excolat inde ſuos.
Pallados at fugitans, Hydræ vel ſanguine pejus,
Tædia Grammatices prima ſubire negat.
Quin pluma, atque thoro reſolutus molliter, uno
Gymnadis objecto nomine pallet iners.
Luxuriat Cilicum nimbis caput, addita Cypri
Canities capiti ſit novus ipſa decor.

Cir-

Circum humeros, ſupraq; leviſſimus undat amictus,
Quem ſpectans, cœlum ſutile pœnè putes;
Plumbea ne teneris vis artubus incubet auſtri,
Æſtivi rabies aut nocitura canis;
Ceruſsâ, unguentis, paſtillis oblitus ipſe
Deſidiâ languet, deliciiſque fluit.
Jam puer eſt, ſurgitque ævo creſcente; ſed inter
Mollia ſic habitus quando vir eſſe queat?

In vanæ laudis captatorem.

Nocturnis inſtas curis, pariterque diurnis,
Ludicrum ut bellè, futile ut euge petas.
Ecquis, dum lucro ſic intabeſcis inani;
Si quid habet cordis, te cor habere putet?
Cor nullum, aut exile nimis, cui ſpiritus auræ,
Aſſentatorum qui crepat ore, ſat eſt.

In celeberrimi viri funere: Ejus famæ interitus prænunciatur juxta illud Boetii: Jam te ſecunda mors manet.

Ceſſiſti tandem fatis defuncte; ſuperſtes,
Quæ conſtat tibi nunc fama, ſubinde cadet.
Illa etenim ſpirantis adhuc ſi nominis aura eſt,
Qui conſtare diu tam levis aura queat?
Hoc etiam tenuis decedes munere vitæ:
Imminet hoc fatum poſt tua fata tibi.

In Aſtrologum.

Quiſquis fata hominum pendere minacibus aſtris
Credis, ut à vero te procul error agit!
Aſtra ſupèr (verum ſi qua eſt tibi cura tuendi)
Ipſe animi ſenſus ejaculare tui.
Nempe altis qui longe aſtris ſedet altior, ille
Fata ſuis librat nutibus, ille rotat.
Ergo ſapit, qui fata Deum penes eſſe fatetur:
Pluſque ſapit, renuat ſi modò plus ſapere.

Vetus, & ſapiens monitum: Noſce te ipſum.

NObilis es, latèque urbi ſat notus, & orbi:
Quid juvat, ignotus ſi tamen ipſe tibi es?
Neſciri potes, & neſcire impunè, ſed ipſe
Impunè haud poſſis neſcius eſſe tui.

Mors apud Inferos æterna.

TArtara vitabis prudens, ſi pectore voluas,
Quæ ſit mortis apud Tartara conditio.
Infelix animus ſemper morietur, eidem
Nulla unquàm dabitur morte perire ſatis:
Ipſe immortali nam ſuppetet uſque dolori;
Exitioque cadet, ſtabit & ipſe ſuo.

Melior patiens viro forti; & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium. Prov: 16.

VIr patiens contra caſus obdurat iniquos,
Inque gradu perſtans vertere terga negat:
Fortibus atque viris vir longè eſt fortior; illi
Quippe arces, animum vincit at ille ſuum.
Vincere plus animũ eſt:arcem id ſupereminet omnẽ,
Jura dare, ac leges mentis in arce ſuæ.

In idem argumentum.

IS vulgo fortis, qui gentem, atque oppida victor
Viribus evaluit ſubdere plura ſuis:
Fortunam quiſquis præſens, & rectus utramque
Deſpexit, penitus fortior ipſe mihi eſt:
Nanque manus illa eſt, hæc eſt victoria mentis;
Terras illa, ſed hæc vindicat altra ſibi;
Illa coronatur Tarpejo in culmine, at omnis
Huic hominum nimis eſt vile, corona, decus;
Victorem ſi te mentis conſtantia reddat,
Pluſquàm Tarpejo in culmine clarus eris.

In Stoicum.

ILlecebrâ capitur ferrum; ingenioque ſequaci
Magneſi lapidis fertur in obſequium.
Sæpe fera & mores patitur: ferroque, ferâque
Tu pejor, flecti Stoice dure negas;
Et vis, te magno Sapientis nomine digner:
Eſſe nequit ſapiens, Stoice, qui nec homo eſt.

Immortale præmium immortalibus piorum operibus paratum.

SI quid mente bonâ, pioque ſenſu
Egiſti, ſuperis, Deoque dignum,
Humanis licèt arbitris remotis:
Haud caſſum excidet; omnibus ſed annis
Sic demùm tibi crede profuturum,
Sic vivax, ſolidum, integrum futurum,
Ut non ira aquilonis impotentis,
Non imber gravis, aut gravis procella,
Mæſtæ aut canities maligna brumæ,
Aut ſævi populetur ardor ignis,
Fatorumque neceſſitas ſuprema,
Quæ caſum omnibus incutit caducis.
Virtus ex animo trahit perenni
Ortum, cumque animo manet perennis;
Atque evecta ſuper Polum triumphat
Æquæva ſibi nobilis corona.

In Epicureum, cujus Deus venter.

PRæpingue omaſum tendis, & cutem curas
Ignaviâ ſolutus, atque iners multâ,
Gurguſtiis addictus, & gulæ totus,
Inter Epicuri marcidos greges princeps;
Avertis à cœlo cor, atque humi affligis:
Sic degener animi tui heù genus neſcis.

Aman eâdem, quam Mardochæo paraverat, cruce ſuſpenditur.

HInc Aman ſuſpenſo; hinc ſoſpite Mardochæo,
Ut Deus humanas verſat utrinque vices!
Olim & in auctorem iraſque, invidiamque reflectit,
Corruat exitiis auctor ut ipſe ſuis.
Dum Mardochæo exitium parat invidus Aman,
Exitii imprudens fit faber ipſe ſibi.

De pravo, rectoque ſui amore.

QUi ſe non ſapienter amat, ſeſe odit amando;
Quique odit tandem ſe ſapienter, amat.
Eſto tui ipſe oſor, ſis ut ſincerus amator:
Ut ſuperes, tibi te ſubiice, teque preme.
Hoc odium ſtultis hoſtile videtur; at ipſum
Tu veras numeres inter amicitias.

Quæ ſit hominis libertas.

SPes, miſerique metus obnoxia pectora reddunt:
Extra te ſperes tu, metuaſue nihil.
Caſtiges tua vota, vagaſque per ardua curas;
Nè modulum ſortis tranſgrediare tuæ.
Sic te dum penitus toto potiere, vacabit
Uni tota tibi pectoris aula tui.

Quid hominem divitem, aut pauperem faciat.

POſſideas quamvis auri, argentique talenta,
Lataque poſſideas uberis arua ſoli:
Et quod Erythræâ condit Neptunus in undâ;
Et niveum mittit quod niger Indus ebur:
Divitis haud tu digneris te nomine; quippe
Nil horum valeas dicere jure tuum.
Intra fortunam quæ ſunt, qui ſpernere novit,
Veriùs hic quovis divite dives erit.
Divitias homini, paupertatemque malignam;
Quæ ſola eſt hominis, mens dare ſola poteſt.

Si votis moderere tuis, pluſquàm Attalus ipſe es;
Si fecùs, Attalicas pauper es inter opes.

In hominem degenerem, parentum virtutes jactantem.

Patriis renides moribus, tuis ſordes:
Quod eſt tuorum, laudo, quod tuum, damno.

De ambitioſis ædificiorum Sumptibus.

Exæquas montes, mare & extruis, omnia rurſus
Diruis, & rurſus diruta mox reparas:
Inſanas tollis moles, & in aſtra minantes;
Erigis ad cælum ſaxa, cor hæret humi.

De Elephantiaco Conſtantini morbo, & medicorum conſilio.

Quò turpes Cæſar tergas in corpore ſquamas,
Artus lactentum ſanguine merge tuos.
Sic medici. Ait æger ſi ſeſe hoc ſanguine curet,
Quo nam erit hæc labes fonte pianda ſatis?
Quanquam horret morbus ſqualenti in corpore, (morbo
Horridior labes, hæc medicina foret.
Plus eſt, quod temerat, quàm quod reficitque, lauitq;
Dum membris prodeſt, inficit ipſa animum.

Ex eo, quod homini cuidam contigit, dum Ignatium Loyolam oraret, ut alterum redderet oculum, quo erat orbatus; Salutare monitum, ad illam Auguſtini ſententiam conformatum eruitur: Propitius Deus cum male amamus, negat, quod amamus.

Luce vides una; hinc præcibus contendis, ut almũ
Dent ſuperi gemina luce videre diem.
Loyolam poſcis, ſed hic abnuit, atque adeò lux,
Ante tibi fuerat quæ ſuper una, perit.
Sic miſero per vota tibi cæcatur utrumque
Lumen, & à ſuperis grandior ira venit.

At

At precibus Loyola tuis, mihi crede, ſecundus
Obſtitit, & facta eſt certior, ira, ſalus:
Luce etenim forſan vidiſti duplice caſſus,
Quæ non viſa tibi duplice luce forent.

Idem argumentum.

ALterutro nuper, nunc lumine captus utroque es;
Loyola nempe hæc auſpice dona refers.
Hic precibus meliora dedit, dum neſcia rerum
Mens tibi fortaſſis deteriora vovet.
Excæcat, diſcas ut te caligine dignum;
Ut crimen videas cæcus & ipſe tuum.

Solemni Sanctorum Innocentium die copioſa è cælo nives delapſæ.

MArtyribus ut lactentibus ſacram diem
Illuſtret alludens Polus;
Hyemale vellus depluit; nam candidæ
Candore gaudent victimæ.

Die ſequenti reſolutæ ſtatim nives.

DIe Innocentum maryrum nix decidit
Denſiſſima; at mox liquitur:
Forteſſe ut anni jam cadentis exitus
Sic nos abire denotet,
Sic noſtra labi tempora; ut Phæbo leves
Tangente tabeſcunt nives.

De herba Nicoſiana, ſeu Sanctæ Crucis quam vocant.

OMnia decreſcunt longo poſt tempore, & omni
Rerum naturæ flenda ſenecta venit.
Terra malos homines nunc educat, atque puſillos:
Vita olim melior, ſenſus & omnis erat.
Tot tamen in rerum defectibus heu gula tantum
Proficit, hic ſenſus latius uſque patet.
Arte laborati nunc pulveris heluo naſus;
Nunc epulis inhiat naſus & ipſe ſuis.

Sic gula proficiens naſum quoque tangit; ò ingens
Prodigium! en tandem naſus & ipſe gula eſt.

Nero cruentam miſerorum ſtragem ſmaragdo oculis admoto proſpectat.

STragem hominũ ſummâ ſpeculatur ab arce, ſmaragdo
Armatus viridi lumina ſæva Nero:
Ut queat intrepidus ſpectator adeſſe cruori;
Atque ſuâ conſtans impietate frui;
Nanque vel interdum ſpirans immane tyrannus
Sanguinis aſpectu cogitur eſſe pius.
At Nero ne pietas animo ſubeat, male prudens
Sævitiam rigidi pectoris arte juvat.
Impietas ſanè duplex! quòd & impius ipſe eſt;
Impius & ne quà deſinat eſſe, timet.
An fieri ſe poſſe pium timet? hoc tamen ipſo,
Quòd ſe poſſe timet, vix pius eſſe poteſt.

Quidam Piſtorii ſuæ domui faces per ſummam amentiam ſubiiciens ſuâ cum domo conflagravit, & periit.

NOx medium carpebat iter, curiſque tenebat
Submotis tacitus jam ſua regna ſopor.
Cum trepidare omnis Piſtoria cæpit, & omnes
Serpere perque lares murmura, perque vias.
Ignis adeſt, en ignis; & alta incendia totam
Corripiunt cæco mixta vapore domum.
Conclamant cives; ſeque ipſi hortatibus urgent;
Vulcanum & contra protinus ire parant.
Ut ventum ſub tecta, ubi ſummo in culmine regnat
Flamma vorax, famâ deteriora vident.
Nempe ſuis dominum tectis ſenſere, ſibique,
Dum fureret, triſtes ſuppoſuiſſe faces.
Per totos peſtis decurrerat atra penates:
Exitioqe ſuo perditus auctor erat.
Vir ſapiens inter dubii quoque prælia Martis,
Inter & inſidias ſat ſibi tutor adeſt.
Inſano nuſquam benè cautum; non ſatis illi
Vallum, & ſepta, domus non penetrale ſuæ.
Nanque mali artificem ſeſe gerit, & ſibi damnum,
Deque ſuâ exitium ſuſcitat ipſe domo.

Darius à Beſſo proditus non vulgarem animi conſtantiam exhibuit.

PEr fraudem Beſſus Darium ſubdit; at ille
Fortiter hæc novit fata ſiniſtra pati.
Quin etiam durâ regnare in compede viſus,
Et ſceptro penitus nobiliore frui.
Rex aliis fuerat celſæ diademate frontis;
Celſiùs at ſibi rex denique mente fuit.

De die defunctorum memoriæ dicato.

ÆRis diſce ſacri linguam funebre ſonantis:
Hem ſapere è tanto fas monitore tibi eſt.
Ultima te ſiquidem fata edocet; & cave, clamat,
Ultima ſint quamvis ne procul eſſe putes.
Vivere at hæc, inquis, brevius dabit anxia cura;
Vivere vel certe triſtiùs ipſa dabit.
Haud hæc cura dabit tibi vivere triſtiùs, haud hæc
Cura dabit breviùs vivere, ſed melius.
Mortem animo quiſquis memori præceperit, ingens
Huic lucrum ex ipſa morte referre licet. (illa
Quippè refert pluſquàm moribundum hoc vivere: ab
Non quò vivat, habet; quò, bene vivat, habet.

Cleopatra admotis ſerpentibus ſe ipſa interimit.

INfelix poſtquam victa eſt Cleopatra, triumphi
Pompam victori præripit ipſa ſuo.
In ſe vipereas animas irritat, & haurit
Pectore crudelem, nil trepidante necem.
Nil poterat pejus romano ex hoſte timere;
Non poterat fato deteriore mori.
At decuit forſan fatum hoc ſubiiſſe volentem.
Quin & dedecoris plus, voluiſſe fuit.

In fictum capillamentum.

QUàm verè eſt hominum generi ad mendacia factum,
Ingenium! Ut verum perdidit omne dolus!
Haud nobis olim eſſe bilingues, atque bifrontes
Sat fuerat; mendax jam libet eſſe caput.
Nativum ponunt juveneſque, ſeneſque capillum;
Ipſaque cæſaries nonniſi ficta placet.
Quin vulgi ad ſenſum fucus juvenique, ſenique
Hic ornamenti dicitur eſſe loco.
Clama iterum Tulli: *ò mores, ò tempora; quando*
Nos vitium exornat, nos ſimulare decet,

Idem argumentum.

NUnc petimus picto mendacem à crine decorem;
Cæſarie tegimus nunc ſimulante, caput.
Sic fraudes, capitis tantùm verſare latebris
Non hominum ingenio, nequitiæque ſat eſt.
Sic fraudes capitis parte interiore redundant;
Quando etiam exterior fingere calva poteſt.

In quemdam, qui horridum aſpectum, incultamque barbam ambitiosè oſtentat.

QUid ſævam juvat, implicitamq; oſtendere barbam?
Cur vultum aſperitas efferat iſta tuum?
Non ferus agreſti Saturnus in ore Platonem,
Abdita ſed penitus mente Minerva facit.

Vxor Loth in ſtatuam ſalis transformatur.

FLammatâ vindex æther dum depluit irâ
In Sodomam, patrios ipſa relinquo lares.
At longe fugiens ubi primùm incauta reflecto
Lumina, ſtans corpus vertitur in ſtatuam.
Materies ſtatuæ ſal eſt. Sic verſa repente
Sum modò ſal, habui quæ ſalis ante nihil.
Cur ſum expreſſa tamen ſalis in ſtatua, ſalis expers
Quæ nempe, & fatuo fœmina corde feror?

In pœnam hæc ſtatua eſt,non in laudis monimentū;
Et præfert iram numinis, artificem. (eſſem,
Ergo genus ſtatuæ inſuetum eſt; neq; enim ipſa quid
Sed quid non eſſem, te docet hæc ſtatua.

In divitem Leguleium, qui inter loquendum eloqventiæ laudem affectat.

QUi tibi grande ſophos, populique faventia captas
Murmura, nonne tribus dignus es Anticyris?
Suſpenſum gaudes tibi vulgus hiare loquenti,
Ceu quiddam Tulli grandius ore ſones.
Aſſentatorum venalis turba cavenda eſt,
Obſequio imponit quæ tibi ſæpe ſuo:
Non hiat illa tibi, quamvis ſublime ſonares,
Sed cœnis inhiat, muneribuſque tuis.

Ad Aſſentatorem, in quem opes, & munera abunde confluunt.

DAs mera verba loquax, das & mendacia mendax;
Iſtiſque haud rarus mercibus emptor adeſt.
Quin etiam pretioſus adeſt, & plurimus emptor.
Mendacem gratis nec licet eſſe tibi.

De Cinerum die.

QUòd vigor, & ſanguis vegetat tibi pectora; quæſo,
Subdola ne mentem fallat imago tuam:
Neu mentem, quaſo, incautam malus occupet error,
Quòd tibi nunc vernant ora decore brevi.
Sæpe cinis celat Vulcani ſemina; & intus
Frigidus ardorem diſſimulator habet.
Vita tuos cineres contrà celat, velut ignis
Deſuper impoſitus, ne videare cinis.
Perſonam gerit & poſt bacchanalia, noſtrum
Quiſque ſuam: hanc prudens detrahe mente tibi.
Detrahe mortalis fucum, & mendacia formæ;
Inſpicies, quàm ſis horridus ipſe cinis.
Fucatus nunc es, nudus cinis inde futurus,
Cum fucum veniet mors aperire tuum.

Ergo hic te fucus ne fallat, mente ſagaci
Nunc tibi perſonam detrahe, teque vide.
Dum ſcenæ, & luſus, & bacchanalia cedunt;
Te perſonatum non decet eſſe tibi.

Æternorum amor.

VIs penitus regno placidæque, altæque quietis
In ſede auguſta pectoris uſque frui?
Aſſurgat tua mens mortale, & mobile ſupra,
Atque in manſuris figat amore gradum.
Fluctuet, inſtabili dum nititur illa, neceſſe eſt:
Manſuris tantum nixa manere poteſt.

Ex verâ virtute vera immortalitas.

QUòd ſerpens reparet ſeſe, quòdque exuat annos,
Ludicra eſt vulgi fabula, fama levis.
Ipſe homo tranſacto felix reparaberis ævo;
Cui ſolidæ conſtet mens pietatis ope:
Quid cita fata times? Modò ſis pietatis amator,
Nec cita mors veniet, mors neque ſera tibi.

Heraclitus, ac Democritus.

ILle flet, hic ridet; rideri at dignus uterque,
Hic riſum, fletum propter at ille ſuum.

Fulvia uxor Antonii in caput, & linguam extincti Ciceronis deſævit.

EXangue hìc Tulli caput à cervice revulſum
Squalet; & hìc gladio lingua reſecta riget.
At non fæminei rabies expleta furoris:
Nil movet exanimum pectora ſæva caput.
Antoni conjux linguam petit effera, & iras
Expletura ſuas ſedula pungit acu.
Fæmina triſte furens neſcit miteſcere; & hoſtem
Ut perimat ſemper, non periiſſe velit.

Armamentarii deſcriptio.

STat metuenda alto ſub fornice copia Martis,
Ferri, atque æris opes, arma parata neci.
Hic galeæ, & clypei pendent, aut fallere quidquid
Cominus, & longe tela inimica poteſt.
Ictum hic haſta frequens; hic Sclopus dirigit ignes
Ferales tonitru, perniciequegraves.
Hic ocreas truncus gerit, & thoracas ahenos,
Et bellatricis Pallados inſtar habet.
Gens fatis devota en ferro armamus, & ære
Quæ nobis querimur ferrea fata nimis.
Et quod damna parat populis, quod & Urbibus infert
Funera, theſauris annumerare juvat.

Aſtiages Arpago filium comedendum apponit.

AStiages prolem genitori apponit edendam;
Et prole imprudens veſcitur ille ſuâ.
Tum rex immitis; quali ſaturatus ab eſca
Sis pater, indicium mox nova pompa dabit.
Dixit, & expletum malè patrem, prolis in ærea
Objectum cogit lance videre caput.
Horreſcit pater: & quos ante refecerat artus.
Incipit infelix exanimare cibus.
Heu dolor; inſtauret cum deficientia paſtus
Corpora, jam paſtu deficit ille ſuo.
Impietas magna incautum ſic fallere patrem;
Nec minor, immanem ſic aperire dolum.

In Avarum.

MOntibus exæques aurum licèt, arte fruendi
Cum careas, idem Crœſus, & Irus eris.

De Gulæ vitio.

NEptuni ambages, terras, cœlumque profundat;
Scrutatur ſæpe ars, ingeniumque gulæ;
Undique conquirens peregrinam ſcilicet eſcam,
Qua nil nobilius tota elementa ferant.

Quæ mortale genus ventri damus, omnia ſordent;
Quamtumvis pretio ſint ſpecioſa ſuo.
Ipſa tamen geſtis pretioſas quærere ſordes;
Tam vilis pariter, tamque ſuperba gula es.

In Iracundum.

IMpos es ipſe tui; furiali percitus irâ
Humanum quoties exvis ingenium.
Expumas manibuſque minax, oculiſque cruentus,
Et rabidæ multum tigridis ore refers.
Teque alioſque ferus crucias: compeſce furorem;
Atque aliis demùm parce, vel ipſe tibi.

In Superbum.

NUlli non gravis es; cauſam eſſe hanc noveris unam,
Omnes elatus quòd ſuper ire velis.

In impudicum Amatorem.

SIt dilecta tibi quamvis Venus, atque venuſtas;
Ecquid amore poteſt turpius eſſe tuo?

De Accediæ vitio.

PErvigil eſt hoſtis, gnaruſque, aviduſque nocendi;
Hinc animi, ut vincas, excubitoris eges.
Mente ſoporata torpes? Eſt mortis, & imæ
Noctis, & umbrarum Principis iſte ſopor.

In Invidum.

QUæ tibi pœna tuum crimen ſit, noveris ipſe;
Arcanâ quiſquis rumperis invidiâ.
Haud præceps alios invadit pœna nocentes,
Sed per mollitos ſæpe timore gradus.
Supplicio nunquam vacat invidus: ilicet illum
Atque omni mordax tempore cura tenet.
Anxius inquirit, pallet, ſtupet, horret, & odit;
Jamque furore ardet, jamque dolore riget.

Et

Et ſuus eſt illi livor febris, atraque peſtis,
Atque malum pariter frigus, & ignis edax.

Lividi oblocutoris mordacitas.

DEterius nihil eſt Cynici rubigine dentis;
Nam livore terit, deteriturque ſuo.

Lenibus frangitur, auſteris rebus foveiur virtus.

QUi gaudes epulas inter ridente Lyeo,
Et vernante roſa, vix pius eſſe potes.
Triſtibus, & duris virtus nutritur; & olli
Blanditiæ molles, deliciæque nocent.
Flos virtus eſt, jucundo ſed vere feneſcit;
Hiberno & meliùs preſſa rigore viget.

Optimum cibi condimentum fames.

QUæſitas tantis inhias cur ſumptibus eſcas
Heu cupida, & nimiùm luxurioſa gula?
Totque operoſa paras per condimenta, palati
Illecebram, gratìs quam parat una fames?
Quamquàm aper, & perdix, & aves tibi Phaſides abſunt,
Exiguæ cereris ſi modò fragmen adeſt;
Lucullo poteris cœnare beatius; iſtuc
Quì fiat, rectè ut noveris, eſurias.

Hominum in adeundis periculis, & laboribus ſtulta plerumque alacritas.

SPe lucri Neptune tuos perſæpe tumultus,
Inſanaſque hyemes vincit avaritia;
Vincit & ambitio, dum velificatur honori,
Mavortiſque petit per tua regna decus.
Tam vitiis alacris gens eſt humana: ſaluti
Friget, & ipſa eadem fervet in exitium.

In idem argumentum.

SÆpe Cleonæos æſtus, Heliconque rigentem
Spes ob mortales diſſimulare potes:
Aſt omnis piget, ob lucrum immortale, laboris.
Quàm ſtolidè pariter ſtrenuus, & piger es!

Pravi mores divitiarum, & generis amplitudini officiunt.

HIc, patriis tendit qui cenſibus addere cenſus,
Laxare & latis jugera jugeribus;
Et vetere oſtentat ſimulacra nigrantia fumo,
Cum facundus avos ore, atavoſque tonat:
Si nequam eſt; cenſum,atque genus corrumpit avitũ,
Funditus & vitiis perditur ipſe ſuis.
Quin & plenus opum, tumiduſq; Nerone propinquo
Auguſtâ gentes ſub ditione premat;
Dum tamen indecorem vitiis vitam exigit, idem
Eſt locuples, & inops; eminet, atque jacet.

De præaltis, quibus ad capitis ornatum mulieres utuntur, criſtis.

HUccine (proh ſuperi) muliebrem evadere mundũ
Edocuit tandem mos novus arte novâ?
En erectus apex, luxuque operoſa ſuperbo
Nunc muliebre ornat pompâ, oneratque caput.
Ardua crinales tranſcendit machina vittas,
Auget & extructis culmina culminibus,
Hinc paſſim occurſant criſtæ, pinnæque, minæque,
Et turritus honos, pyramidumque labor.
Aſtra videt propiùs vertex, mulier, tuus; at tu
Quàm vereor, videas ne nimis aſtra procul!

De faſtoſo mulierum ſyrmate.

FÆmineus neſcit luxus finemque, modumque,
Inventis ſemper proficit ille novis.
Ducere prolixum undanti de ſyrmate faſtum
Jam placet, & multâ verrere veſte ſolum.

Aſt

Aſt euge, & pompam prolixiùs extrahe; nullus,
O mulier, prohibet Stoicus, aut Cynicus.
Si pompa eſt ingens in ſyrmate ponè ſequenti,
Quidni majore in ſyrmate major erit?
Longiùs ergo ut adhuc fluitet tua pompa, quid obſtat
Sit longum ſtadiis ne tibi ſyrma decem?
Iſta tamen per humum tibi dum raptata lutatur
Plurima, quid, vel te judice, pompa tua eſt?

Ad Divitem habendi auidiſſimum.

ORbus es, atque auri magnis opulentus acervis;
Nec ſat opes implent jam tua vota tuæ.
Diſtentus, tumiduſque humore, hydropicè, multo es,
Humorem & ſiccis faucibus uſque ſitis.
Cui mens immodicâ regnata cupidine fervet,
Sæpe nimis, nunquam poſſidet ille ſatis.

Cupiditatum moderatio verum animi regnum.

COntrahe in immenſum tibi velificantia vota,
Splendidus ut domitor ſis, dominuſque tui.
Orbe tibi iſtud erit protenſo à Gadibus uſque
Auroram, & Gangem latius imperium.

Innocentis conſcientiæ teſtimonium, verum hominis gaudium.

COrde ſerenato, exporrectâ vivere fronte
Ut valeas, fruſtra ludicra mille petis;
Aucupia, hortorum illecebras, ſcenaſque virentes,
Lympharum anfractus, Dædaleoſque dolos:
Longa vel hybernæ contra faſtidia noctis
Inſtructos ludos, innumeramque dapem:
Et Charitum ingenia, & ſpumantis maſcula Bacchi
Munera, & Orpheis æmula plectra modis.
Sed nec opus tibi divitiis Hermique, Tagique,
Velleribus tyriis, mercibus aut cypriis:
Nec penetrare opus eſt Urbes, genteſque repoſtas;
Quæve oriente tepent, quæve cadente die.
Nec ſcire, edocuit quidquid Memphitica tellus;
Quidquid Ariſtoteles, Cecropiique ſenes.

Nanciſci non quadrigis, aut navibus ullis,
Non arte, aut ſtudio gaudia vera licet.
Hanc tibi non peregre mercem, longeq; petendũ eſt;
Nil conſcire tibi dum potes; intus habes.

De vitæ, temporiſque per ignaviam, & luxum jacturâ.

CUm pergræcari, atque in multam ſtertere lucem
Solennis tibi ſit mos, genialis homo;
Arctatum exiguæ quereris te limite vitæ,
Crimen & in cœlum, cœlicolaſque refers.
Haud vitam exiguam ſtatuit te vivere cœlum;
Exiguam, malè dum prodigis, ipſe facis:
Quin facis & nullam, dum curæ immunis, & excors
Deſidiâ imbelli, luxuriaque jaces.
Qui fatuè, & fœdè mortales tranſigit annos,
Ille prius, veniat quàm libitina, perit:
Et ſi plus Pylio ſene vixerit, ipſe feretur
Non vixiſſe diu, ſed periiſſe diu.

EPI-

EPIGRAMMATON LIBER III.

MUltiplex hìc argumentum percurrimus, ſeria ludicris interpellantes, gravia levibus temperantes, levia levioribus dirimentes; ut ſi minùs, operis venuſtate; quod ſapientiores valent, at ſaltem varietate; quod rudioribus quoque licet, faſtidia lectoris aut vincamus, aut fallamus. Si vel brevem conſiliis immiſcere ſtultitiam (id, quod inſanientis ille ſapientiæ conſultus vates auctor tibi erat) pudeat te, aut fortè etiam pigeat; nil tamen prohibet tempeſtivæ remiſſionis uſuram, qualem qualem decerpere: Eam tibi (modò poſitis ſupercilio, & curis tantiſper libeat feriari) lemmata ſaltem noſtra hìc ſatis præbebunt. Accede: ſed interim quicumque ſuperbè horridus, & pluſquam ſtoicè illætabilis imminet, is porrò quàm ocyſſime poteſt, extra limen noſtrum faceſſat.

Gallienus Imperator quodam in ludo ei præmium detulit, qui decies taurum jaculatus nunquam collimavit.

DUm Juvenes certant fugitivi in vulnera tauri;
In taurum Juvenis ſpicula dena jacit:
Irrita ſed ſemper. Magnum, & mirabile, Princeps
Clamat; hic en juvenis præmia digna ferat.
Quidquid es, è medio ſi longè exceſſeris, extas;
In medio quiſquis conſtitit, ille jacet.
Quis fatuum cantet? Sis tu Margitis at inſtar
Morio, Mœonio carmine dignus eris:
Sis nimium fædus, monſtraberis urbe, puſillus
Sis idem nimiùm, ſic quoque magnus eris.

Aquila altricem nacta puellam, mirifice illi gratiam reponit.

SÆpe aquilam longo feſſam per inane volatu
Exceptam nutrit blanda puella ſinu.
Illa ſed officiis certans quas undique prædas
Colligit, altricis congerit in gremium.
Quin altrix defuncta, rogo dum flagrat, eaſdem
In flammas ſeſe nobilis ales agit:
Et ne quà ſuperet caræ poſt fata puellæ,
Geſtit in ardenti ſe tumulare rogo.
Huic tunc Phœnicis fuerat ſors debita; poſſet
Surgere ut è fatis mox rediviva ſuis.
Vivere ſique illi donum, non pœna fuiſſet,
Poſt ſua fortaſſis fata ſuperſtes erat.

Ad Auſtriacum Infantem: de ejus Natali.

SPectaris vitæ tandem donatus, & orbi
Votum, atque Auſtriacæ ſpes, columenq; domus:
Magne puer. Sed veſtibulum, & primordia lucis
Ingrederis, cum Mars utraque regna tenet.
Jam dudum non ceſſuro decertat Ibero
Gallus; & innumerâ prælia cæde rubent.
Advenit Hiſpanis Arctoa potentia rebus;
Cognataſque inito fœdere ditat opes.

Sic

Sic regnorum alitur nervis mavortius ardor;
Orbis & æternis ingemit uſque malis.
Humanum in ſcelus humanis Deus utitur armis,
Et noſtris in nos viribus ultor agit.
Tanta tamen vix dicemus mala; tu modò felix
Neſtoream in vitam proſice magne puer.
In te vel mundi clades penſabitur uno:
Quilibet uno in te ſoſpite ſoſpes erit.

In Pſittaci morte, & ſepulchro.

HIc eſt Pſittacus eloquens voluptas,
Et riſus domini: levare curas;
Arcanos ubi pectoris receſſus
Vellunt, ſollicitantque pertinaces;
Nulla eſt ingenioſior volucris:
Nulla eſt blandiùs explicare docta
Molli gutture civibus ſalutem,
Et promptum, geminumque vive, ſalve;
Cùm vim Phoſphorus admonet loquacem,
Cantum, murmura, garrulos lepores.
Tantam dum volucrem abſtulere fata,
Proh quantos rapuere fata luſus,
Et quantum, domino, facetiarum!
Te quondam retuli trium ſororum
Dignum Pſittace longiore penſo:
Sed ſurdâ Lacheſis ſeveritate
Neſcit parcere gutturi jocoſo.

Ad quemdam, qui plus nimio dum ſtertit, aliis dormientibus, importunè ſomnum abrumpit.

HOrrendum ſtertis ſub mæſta ſilentia noctis,
Pectore ceu tumido cor furiale geras.
An quem exhauſiſti heſterno cratere lyæum
Spirat anhelatus naribus, ore ſopor?
Non Bacchi, at ſomni id vitium eſt: heu diſce quietē
Et tacitam, & qualem tempora noctis amant.
Intempeſtivos ſomnum perſæpe clientes
Rumpere cauſidicis exitiale malum eſt.
Martia militibus turbare & claſſica ſomnum,
Exitii hoc etiam eſt, ſævitiæque genus.

Aſt omni potes exitio tu pejor, & omni
Sævitia longè ſævior eſſe mihi:
Cum ſecura trahens tibi longo oblivia ſomno
Me ronchis cogas pervigilare tuis.
Fas totam ſomno noctem tibi degere, fas ſit
Et ſomno totum degere mane tibi;
Des altùm dormire tibi, ſed leniter, idem
Dormire ut mihi dès denique vel leviter.

In hominem, qui volens, libenſque eunuchus efficitur, ut muſicæ arti det operam.

PRæſto eſt, qui certo te nunc effæminet ictu,
Inferat & ſexus damna cruenta tibi.
Sed te quæ cepit miſerum veſana cupido:
Muſicus ut vivas, vivere nolle virum?
Auribus, atque animis vacuis placuiſſe fereris;
Qui luxu marcent, deſidiâque ſuâ.
Diceris vulgo vox mellea; Tereos & quæ
Dulcè querebatur flens Philomela dolum;
Et Siren, durum quæ flectere poſſit Ulyſſem
Carminibus blandis, mollibus aut modulis.
At quanta has laudes per detrimenta lucraris!
Vulnere quàm turpi, perniciequе gravi!
Hæc affectantem laudum præconia laudo,
Dum tamen in primis eſſe vir ipſe velit.

De limpidi Fontis aqua. Encomium.

SIncere ò Fons, & pluſquàm cryſtallina lympha;
Et ſplendens ipſo non adamante minus;
Nec ſolùm ſiccis, ſolùmque probanda ſeveris,
Qui tetrice pallent, ſocraticeque rigent;
Sed quibus & plenos libet exhaurire culullos,
Campanoque licet nectare ſæpe frui:
Attamen ò bona lympha, liquentis filia fontis,
Inſenſa heu nimis eſt ebria turba tibi.
Te nempe illa notans mala per convicia dicit
Perniciem Bacchi, lætitiæ exitium.
Laudanda aſt ipſa es, quòd mentem, innoxia ſervas,
Dum Bacchus mentem, conſiliumque necat,

Dum

Dum ſpes mendaces Bacchus, temulentaque donat,
Et pejora omni gaudia triſtitiâ.

Qui Divum Ignatium igne dignum pronunciaverat, igne correptus perimitur.

LOyolæ par ſupplicium qui dixerat ignem,
Hauſtus ab irato protinus igne perit.
Immanis linguæ ſic dicta redarguit ignis,
Et pro Loyolâ ſplendidus ultor adeſt.
Loyolæ nocuit quondam; dum bella gerebat;
Martis & audebat miles in arte ferox.
Aſt idem nunc Loyolæ ruit hoſtis in hoſtem,
Et nocumenta novâ priſca rependit ope.

In Clementis X. Pontificis Maximi obitu.

URbis Romuleæ ſonat querela,
Atque Orbis pariter; modumque neſcit;
Dum deſiderium Parentis urget,
Prærepti ſubitò optimi Parentis,
Qui rem Chriſtiadum arbiter regebat.
Centenam quoque præterire meſſem
Quantumvis tibi tardiore penſo
Donaſſent Superi; ſenex perire,
Et ſerus, Pater, emigrare terrâ
Haud noſtris, puto, crederere votis.
Feſtinant tua fata, vel perenni
Quanquam Neſtore ſerior perires.

In ejuſdem obitu.

E Febri Clemens fertur periiſſe malignâ;
Quem non vidit hyems ſeptima Pontificem;
Qua periit Clemens, febris fuit illa maligna;
Et modica ut fuerit, nempe maligna fuit.
Sed minus invidiæ tantis tamen improba damnis
Ut faceret, terris ſuſtulit illa ſenem.

Ad Eundem de ejus obitu.

DUm Paſtor fieres, uno in te viſus; & uno
In te non viſus, dum morerere, dolor.

In peſſimum tonſorem.

TOrtor es, & pretio tibi vis tormenta rependi;
Vel gratis nolo vulnera, vis ut emam?

In morionem, & ſtolidum hominem.

STultitia, ut vulgo jactant, eſt arboris inſtar:
Quiſque hominum ramum ducit & inde ſuum;
At tu tam ſtolidus cum ſis, tarduſque ſtupore,
An ramum inde unum credimus eſſe tibi?
Haud ullus ramus tibi contigit arboris hujus:
Stipes es; uſque adeò corde, animoque vacas.

Frigilla ad aucupem.

AUceps eſſe nimis frigillam dicis amaram:
At placeo nimium ſic quoque, dire, tibi.

Vilis Paſſer ad aucupem.

QUere peregrinos, auceps, per rura ſapores;
Sum tantis ales non ego digna dolis.

Ad quemdam, qui à ſe ſcripta in Ignatium convicia, transformata continuò videt in ejus laudes.

PRobra putas in Loyolam te ſcribere, demens;
Quæ nequeat poſthac ulla abolere dies.
Diſpereunt tabulis vix dum conſcripta; decoras
Quin etiam in laudes verſa repente migrant.
Nempe Deus delet livoris ſenſa; malignas
Obruit & ſpecie nobiliore notas.
Ecquis laudis honos ſatyra hac ſpecioſior, exqua
Viſus tam ſubitò ſurgere tantus honos?

Poſt

Poſt ſatyram laudes Deus excitat ipſe ſuorum;
Loyolæ laudes ſcribit & in ſatyra.

In Lippum.

QUæ frons Catonis aſpera, quis atrox mæror
Par lippe tibi, qui & lætus, & jocans ploras?

In eumdem.

FLes ò lippe, ſuo ſeu te ſpectacula plauſu
Feſta tenent; plauſu ſive chorea ſuo;
Carmina ſive audis hilari modulata camenâ;
Ludicra ſive audis tympana, ſive tubas.
Tota licèt ridens tu bacchanalia ludas,
Funeſtant lacrymæ lumina tota tibi.
Te ſi Heraclitus noviſſet, diceret unum
Nempe tibi, atque tuis ſenſibus eſſe parem.

De fele quadam, quæ lucernarum oleum cum ellychniis immaniter ſorbet.

ESt felis plenas audax ſorbere lucernas,
Lychnorum peſtis, Palladis & barathrum.
Elatebris poſthac ſecurior exiliat mus;
Hoſtilem ingluviem nam nova præda tenet.

Cucumeres Piſtorienſes.

IN ventrem cucumis felicibus incrementis
Laxatur, ſucco luxuriatque ſuo.
Fertilis hoc donum Piſtoria mittit aquoſum;
Accipe; ſolſtitio dulce levamen erit.
Faucibus humorem affundet; ſed noxia ne ſint
Fortè tibi illius frigora, frange mero.
Si deſit quem debueras ſuperaddere Bacchum,
Hæc ſtomacho timeas frigora ſæva tuo.
Ergo tibi hos orbes ſine Baccho cum dat amicus,
Dat magna, at nimium frigida dona tibi.

Idem

Idem argumentum.

EN cucumis; glacie concretam dixeris undam!
Æſtivi tantum frigoris ille gerit.
Diverſum genuit potum natura, cibumque;
Nec rem unam humorem juſſit, & eſſe dapem!
At cucumi duplex eſt gratia; ſcilicet illic
Humorem comedes ipſe, bibeſque dapem.

Auroræ adventus.

EXcutite ò pueri ſomnos: ad Pallada nunc vos
Increpitante vocant gutture lucis aves.

Turdus.

IUnipero, aut viridi dum quæro in pallade victū
Hæreo viſcoſo turdus in aucupio.
Unde dedit natura parens mihi vivere, ibi Auceps
Molitur dirâ perfidus arte necem.

Ardua docendi cura ab emerito jam ludi magiſtro ſic exponitur.

HUmanum, pueros, pecus, & ſine mente juventam
Sæva mihi dudum cura docere fuit.
Iám rude donatus, vitæ mihi tempora duco;
Jam curas facilis ſolvit, & alta quies.
Expedior latebris, cœlique patentis in hauſtum
Prodeo, quà pinguis vitibus uva rubet.
Aut quà fons trepidat fugitivâ garrulus undâ;
Aut quà multiplici Cloride ridet ager.
Hìc ſpecto, hìc loquor, hìc paſtorum carmina ludo,
Æthereus donec veſper abire monet.
Aſpera multa ſubit puer ille, & ſudat, & alget,
Palladi qui penitus deditus eſſe cupit.
At puero quiſquis diſcenti Pallada tradit,
Plus multò hic curæ, pluſque laboris habet.
Hunc ludi appellat latialis lingua magiſtrum;
Quot tamen heu ludus triſtibus ille ſcatet!

In

In quemdam, qui vilia quæque cœnat, ſed niſi optima non potat vina, & nivali frigore gelata.

SEmper Maſſica poſcit, & nivali
Iucundè rigidas gelu trientes
Pompillus; ſed olus vorat, nucemque
Vilem, & fruſtula panis in patella.
Iſthæc quomodo convenire poſſunt?
Tam vile eſurit, & ſitit ſuperbè.
Vel contingere qui poteſt in uno,
Ut par ſit Curio, ſimulque Othoni?
Sit par Fabricioque, Apicioque?

Aliquot ex præcipuis Societatis JESU doctoribus.

PAlladis immenſæ dives, pariterque profundæ
Suarius; aſt acer Vaſquius ingenio.
Magnarum ambages rerum Molina reſolvit,
Et nodo ſolers exit ab ancipiti.
Toletus totum complexus mente Lyceum,
Altius & quidquid pagina ſacra docet.
Tu victa Hæreſeos lue Bellarmine triumphas,
Romani vindex dogmatis, & fidei.
Doctrinæ nervis, & mentis acumine Lugo
Præditus, hiſque ardens plena theatra tenet.
Eſt fautor veterum Arriaga; at futile quidquid
Sola vetuſtatis protegit umbra, putat.
Maurus Ariſtotelis mentem, doctoſque receſſus
Clarus Aquinatis luce, ſuâque ſubit.
Pallavicini vernat ſtylus, & ſimul idem
Fulmineus totus grandia bella gerit.
Sacra Ruiz Patrum penetralia ſtrenuus intrat.
Contemtor vulgi fertur in alta Perez.
Doctorum ſenſa ad trutinam perpendit Oviedus;
Culpat & hæc rigidus cenſor, & illa probat.
Pervolat æthereos ſpeculator Clavius orbes
Plusquam Dedaleæ mentis, & artis ope.
Khircherius profert rerum miracula, quæque
Nos fugiunt terris obruta, quæque mari.

San-

Sanctius eſt monitor thalami; claſſeſque per omnes
Quid ſit fas, ſignat Leſſius, atque nefas.
Per tua tu nobis Laymane volumina tradis,
Quid lex Pontificum, quid ſibi jura velint.
Sincere ut capiam divini oracula verbi,
Corneli interpres cura, laborque juvat.
Myſtica Rodriquez aperit: ductorque fidelis
De Ponte oſtendit qua decet ire viâ.
Erudit exundans Raynaudi copia, ubique
Felix, ſeù promat ſeria, ſive jocos.
Orbis in annales longo per ſecula tractu
Explicat ingenium ſe Saliane tuum
Bartolus utilium ſuaſor, jucundus & idem;
Et Loyolæâ nobilis hiſtoriâ.
Enumerare poteſt reliquos epigramma; ſed eſſe,
Si numeret reliquos, non epigramma poteſt.

Aliquot Societatis JESV ſcriptores in Poetica facultate præſtantes.

BEncius eſt nitidus; facilis Gallutius; altè
Donatus rapitur, Papiniumque refert.
Verſicolor Strada eſt, uno nec Apolline tantùm
Fingit epos: vatum Prothea jure putes.
Eſt Rueus verbis ſimul, ingenioque venuſtus.
Guiniſius grauis eſt, nobiliterque liquet.
Aſſeris ipſe epica tibi Pulcharelle Camæna
Candorem totum, Virgiliique decus.
Dulce flet è laribus profugum Remondus Alexim.
Tu Florum areolas doctè Rapine colis.
Sidronio haud deſunt ſectanti lævia, nerui.
Bidermane idem mitia, & alta ſonas.
Ardua Dondini, ſtudioſaque vena laborat;
Illius at felix cernitur eſſe labor. (eſt.
Sanctius & Plauti, & Sophoclis ſpectandus in arte
Balde, & Sarbivius plectra canora movent.
Giattini Sapiens Leo: Formidataque Tucci
Horendum Chriſto Judice ſcena tonat.
Hæc laus, hoc pretium cuiuſque. Stephonius at quid?
Colligere haud unâ clauſula voce queat:
Carmine in heroo, atque in ſyrmate nobilis ille,
In ſocco, inque elegis nobilis, inque lyra.

Ste-

Stephonii multiplex ingenium

VIrgilium, Senecam, Ciceronem noſce, Stephoni
Et tum quid fuerit, noveris ingenium.
Scilicet ille ſuo vim Tulli, altamque camænam
Virgilii, & Senecæ reſtituit Latio.
Heu quantum populata decus mors improba; in uno
Sublato haud unum ſuſtulit illa virum.

De probo, & frugi homine, cui rubra cæſaries,

DIceris eſſe bonus; ſed ego & miracula, credo,
Efficis, en iſtud: crine ruber bonus es.

De ſapientiſſimo medico Piſtorienſi, cujus capillus ad ſyncipiut flauus, ad occiput canus.

FErtur ubi eſſe animi memoris generoſa facultas,
Sparſa ſere eſtutis crine juventa tua eſt. (tes;
An quia priſca tenes memor omnia dogmata, & ar-
Par ibi nimirum eſt, ut videare ſenex?

Idem argumentum.

EXpreſſit natura tuas in vertice dotes,
Quas animo felix interiore tenes.
Nam capiti flavum appinxit, niveumque capillum:
Cum ſis tu iuvenis corpore, corde ſenex.

Idem argumentum.

VErtice cur video properatum inſigne ſenectæ
Sic tibi, dum vernat flore juventa ſuo?
Ut tibi nempe modis canum caput omnibus eſſet;
Crinibus exteriùs, ſenſibus interiùs.

Ad quemdam, qui magnifice identidem canit, quid acturus eſſet, ſi Rex, aut quid ſimile in orbe terrarum foret.

SÆpe ais, hoc agerem, aut illud, ſi opulenta tenerem
Regna; foretque ingens nomen in orbe meum.
Magna ſonas magno tumidus promiſſor hiatu;
Quanta cothurnatum vix meditetur Epos.
Quærere ludjcrum eſt hæc per ludibria laudes.
Neſcio, quid faceres; quid facias, video.

Idem argumentum.

MIra, inquis, facerem, ſi ſacra in ſede tenerem
Romuleus Paſtor proxima ſceptra polo.
Si Gallos regerem, vel ſi moderarer Hiberos:
Aut in Hiperboreo maximus orbe forem.
Explerint tua fatales dum fila ſorores,
Hoc urnam ſignet carmen amice tuam:
Nil ego, nil magnum, aut memorandum annalibus egi;
Non dextrâ ſolers, conſiliòve fui.
De me at Grammaticus ſcribat modò rite futurum
Præterito miſtum; ſcribere magna poteſt.

Princeps quidam datâ operâ ad iracundiam provocatus convaleſcit ex morbo.

DIcitur ardenti Princeps ubi concitus irâ
Ferbuit, è morbo convaluiſſe ſuo.
Ira animi furiale malum, violentaque peſtis,
Corporis huic præſens tunc medicamen erat.
Jam novi, quid agam, ſi me decumbere lecto,
Affectum cogat corpore dira febris.
Aut nullis utar medicis, aut utar ineptis;
Atque his iraſcar ſæpius, ut valeam.

In Equitis Bernini tumulo.

HAc jacet, atque latet modicâ contracta ſub urnâ
Virtuti virtus æmula Phidiacæ.
Si nomen tu fortè rogaveris, ipſa docebunt
Illius manibus marmora docta loqui.
Berninus nomen. Romam qui videris hoſpes,
Haud valeas tanti nominis eſſe rudis.
Nempe illud celebrant tot Romæ ſaxa, tot illud
Romana oſtentant compita, templa, lares.
At nullam poſuit ſtatuam ſibi nobilis auctor;
Nec docuit vultus ſaxa referre ſuos.
Quæ tamen ipſe aliis poſuit, feliciùs illa
Auctorem referunt dædala ſigna ſuum.
Haud igitur ſtatuâ ſpirat Berninus in una:
Quot ſculpſit, totidem ſpirat imaginibus.

De pluribus nequitiæ ſignis in unum hominem convenientibus.

CRine ruber, niger ore, & læſus lumine, jam qui
Sis animo, video corporis ex habitu.
Indice te multo prodit natura: nec ipſe
Arte, doloque miſer jam ſimulare potes.
Fallere ſi me mendaci conabere lingua,
Naturæ credam, quæ monet, ut caveam.

Inſanus homo, ſuppoſitis per ſummam inſaniam domui ſuæ facibus ſimul cum illa exuſtus periit.

QUidam amens, vitæ dudum pertæſus, & auræ,
Per flammam, mortis fit faber ipſe ſuæ.
Non tamen huic flamma, libuit quacumque perire;
Sed ſuccenſa darent quam ſua tecta ſibi.
Strenuus ergo ſuas vulcanum ſpargit in ædes;
Fataque per medios geſtit adire focos.
Si propter dominum domus; illo (inquit) pereunte
Par eſt ipſa etiam deſinat eſſe domus;
Nec debet domini exitio domus eſſe ſuperſtes:
Ergo ſimul flagrent nunc domus, & dominus.

Sic ſapere eſt viſus moriens, qui vixerat amens.
Quàm ferale tamen, quàm furiale ſapit!

Ebrioſi ad ſobrium hominem objurgatio.

NE ſis ebrius, opprimis falernum,
Et multâ exanimas rigente lymphâ:
Quod morſus animi retundit acres,
Atque eliminat anxios pavores.
Jam non es, reor, ebrius, ſed amens.

De fabro, qui ante auroram ad opus fabrile revertens vicinis dormientibus permoleſtus eſt.

DEſine percuſſis torquere incudibus aures;
Miteſce & nobis, aut tibi, dure faber.
Nondum Titoni vicinâ conjuge cœlum
Pingitur; & ſævo murmura folle cies:
Vulcano & ſubigis, verſas & forcipe ferrum,
Ictibus & crebris, horriſoniſque domas.
Mitiùs antra Cyclops terret ſua, verbere multo
Cum ferrugineum dextra fatigat opus.
Sit pudor, atque modus; nam ferrum tundere cum ſit
Fabrorum, ſomnum rumpere carnificum eſt.
Haud gratis ceſſas? Vicinis vendere ſomnum
Improbe vis? Quanti, dic mihi, vendis? Emam.

De Labyrintho, qui ex arboribus, & fruticibus textus in Romanis Matthejorum hortis oſtenditur.

IMplicitus Matthejorum labyrinthus in hortis
Difficiles doctâ miſcuit arte vias.
Arbor crebra facit dubio mendacia flexu;
Frondoſoque vagus texitur orbe dolus.
Atque ubi anhelatum mentitur ſemita finem,
Ambages redeunt mille, novumque chaos.
Exclamare libet: veneranda ignoſce ſenectus:
Ingeniis cedant ſæcula priſca novis.
Ars nova jam Cretæ miracula tranſtulit hortis:
Pieriâ vates quæ ſonuere tubâ.

Jam

Jam levibus foliis, interque virentia ſepta
Dædaleus noſtrà luditur arte labor.

Puer ad fontem veneno illitum dum bibit, emoritur.

INfelix puer è fontis cratere venenum
Triſte propinavit limpha doloſa tibi.
Illimem ergo bibens illimi è fonte liquorem,
Occultam pariter combibis ore necem.
Quis tantum appoſito ſetinum dum ardet in auro;
Eſſe aconita homini dira timenda putet?
Nuſquam non lateat vis inſidioſa veneni;
Quando vel in vitreo fonte latere poteſt.

Podager hoſtem fugiendo convaluit.

NEſcio quem metuens podagrà qui tardior ibat,
(Proh mirum) in celerem ſolvitur ecce fugam.
Irritus huic olim fuerat Podalirius omnis;
Nunc ipſi felix fit medicina metus.
Sic medico ægrotus melior: præſtare quod ille
Non ulla arte poteſt, hic metuendo poteſt.

De quadam roſarum ſpecie, quæ plurimum decoris, & minimum habent odoris: vulgo vocantur duplices.

EN inter ſpecies, & nomina mille roſarum,
Quæ ſimplex, & quæ dicitur eſſe duplex.
Pauperior ſimplex; duplex ampliſſima ſeſe
Explicat in pompam, purpureumque decus.
Promittit multum, minimumque inſpirat odoris.
O roſa quàm verè diceris eſſe duplex.

In Montecucoli obitu, & tumulo.

FUlmen in obſtantes hoſtes; validoque pavendum
Marte virum tumuli tam brevis urna tegit.
Heu lacrymæ; tantum viſa eſt mors efflera in ictum
Nimirum totas exeruiſſe manus.

Per quem urbes, per quem potuit Turena perire,
Ipſum crediderain, vix potuiſſe mori.

In idem argumentum.

HOc Montecuculus jacet ſepulchro,
Magnarum columen, decuſque rerum:
Quem diro in tonitru, & fragore Martis
Senſit martia turba fulminantem.
Tot poſt fata, tot hoſtium ruinas,
Fatis victima poſcitur ſupremis;
Et tantum capit urna, & umbra nomen.
Non torvam hic Lacheſim, trucemque dicam,
Non diram, indomitamque, barbaramque:
Tantos dum ambitioſa vibrat ictus,
Non dirè facit illa, ſed ſuperbè.

Druſus dum pomum jactat in aerem, ut illud ore biante excipiat, obſtructis à pomo faucibus moritur.

NUnc ſublimè jacis pomum, nunc excipis ore;
Nec ludum ſemel hunc druſe ciere juvat.
Uſque cies, donec pomum vi denique multâ
Decidit, & fauces obſtruit orbe ſuo.
Hinc ludo moreris; vitalis ſpiritus auræ
Duriter obſtructâ dum nequit ire viâ.
Ante fuit longum malum, ſed corripis ipſe;
Et facis extremum mox tibi Druſe malum.

Mulier Romana viſo primùm filio, quem in luctuoſâ ad Thraſymenum clade cecidiſſe crediderat; præ lætitia repente expiravit.

MArtia præcipiti fato jam turba ruebat,
Pœno Romanos exuperante duces:
Cum prolem extinctam ſæva inter tela parenti
Sæpius heu veri neſcia fama tulit.
Ingemuit mater, diſiectis mœſta capillis,
Protinus & miſeras dilacerata genas.
Vita manet tamen: & quamvis oppreſſa, necare
Intimus haud potuit triſtia corda dolor.

Filius

Filius at ſoſpes dum jam remearet ad urbem ;
Lætitia periit victa repente parens.
Tramite ab inſueto venerunt fata : doloſè
Adfuit, unde minus Parca timenda foret.
Mitte dolos mors dira ; tuis ſat viribus uſus :
Omnia cum poſſis vincere, mitte dolos.

Cambiſes Præſaſpem, quod ſe vinolentum diceret, crudeliſſimè redarguit.

CAmbiſem nimio dum ait indulgere Lyeo
Præſaſpes, tantam non tulit ille notam.
Hinc prolem immeritam, patre inſpectante, volucri
Per neruum immiſsâ morte perire jubet.
Ac jaculans, mihi quam conſtet mens ſobria in ictu,
Hoc, ait, è nati vulnere diſce pater.
Vulnus & ipſe pater potuit laudare, manumque
Penè tibi potuit dicere Phæbe parem.
Immanis pater, & Cambiſe immanior ipſo,
Ut regi placeas, exuis ergo patrem ?
Sed regi ut placeas, ſenſum modò patris habeto ;
Nam regi modò te non doluiſſe dolet.

De duobus pictoribus, qui depictâ morte, non longo poſt tempore ambo perierunt.

QUi pinxere ambo pallentem funeris umbram,
Ambo ſupremum mox objere diem.
Dum dolet appingi ſibi ſqualida turpiter ora ;
Mors eſt artifices forſitan ulta manus.
Impia mors pœnæ communis jure necare
Quos poteras, ultrix invidioſa necas.

Per erithreas undas incolumes fugiunt Hebræi : inibique perſequentes cum Pharaone Ægyptii demerguntur.

CAra Deo ſoboles, cœlo ducente per undas
Servitiumque fugit, terribilemque Pharon.
Mox fugientem urget Rex efferus ; itque repente,
Qua promittit iter pendulus humor aquæ.

At ſubitò audacem punit Deus: unda remotis
Prodigii obiicibus jungit utrumque latus.
Sic rex, & currus, & equi tumulantur eodem
Gurgite, ubi explicito calle patebat iter.
Tot qui prodigiis ſecurè illuſerat, illum
Debuit & vindex ludere prodigium.

De ſepulchro, quod Michaeli Angelo Bonarotæ poſitum in templo Sanctæ Crucis Florentiæ viſitur.

MArmorei pretium tumuli, ac ſpirantia circum
Signa, celebrandum noſce viator opus.
Hic tegitur Bonarota; ipſius funera plorant,
Quas pariter ſtatuas collacrymare vides.
Extinctum quàm apte plorant hic marmora, per quē
Marmoribus potuit vita, animuſque dari.
Ipſe vel arte ſuà hoc poſuit Bonarota ſepulchrum,
Credo equidem; vellet vel poſuiſſe ſibi.

Echo per ænigma deſcribitur.

IN gelido peperit tenuis me ſpiritus antro
Præruptas inter ſilices: mea tempore partus
Interiit genitrix; peperit, periitque loquendo.
Cumque referre meam genitricem ego conor, in ipſo
Conatu refero tenui ſub imagine totam;
Ter, quater ingeminans refero; pereoque loquendo
Ipſa etiam; vixi, & fueram quæ nata loquendo.

Immanis Principis poſt plura patrata homicidia ad filiorum ſtragem animum intendentis, crudeles ſenſus expreſſi.

DAmnavit miſerum ſævo dum funere natum
Immanis Princeps, hos dedit ore ſonos.
Nunc & natorum ſaturetur ſanguine pectus:
Externis noſtra eſt cædibus aucta ſitis.
Pignora quid proſunt: & quid juuat eſſe parentem;
Si non & ferro pignora noſtra cadant?
Conjugii hic fructus; per nos ut vivere ſi quis
Inciperet, per nos poſſet & ille mori.

Diſpe-

Diſpereat ſoboles: noſter ne torpeat enſis,
Vel nos dimidiâ parteperire liber.
Immo mori ex toto certum eſſet, ſi daret orcus,
Dextera quos poſſit noſtra necare viros.

Epigramma hiulcum, & claudicans vocabulis partim deficientibus, partim in ſede non ſua locatis; tyronem exercendum ſic hortatur.

INforme, & truncum ſpectas epigramma; ſed ipſe;
Quicunque es, ſiam; vis epigramma tuum?
Quæ deſint, & quæ rupta compage deiſcant.
Membra mihi debes ante videre puer.
Tum metrum inſtaura; quæ deſunt membra, repone
Sedulus; & ſiam mox epigramma tuum.
At ſi quæ deſunt, nequeas mihi reddere; ſaltem
Pulſa ſuis aude membra referre locis.
Sim licet alterius, tamen ingenioſus adoptet
Si quis me, poſthac illius eſſe ferar.

In funambulum plus juſto audentem.

FUne ſuper qui das agili ſpectacula greſſu,
Lubricus innumeris flectere membra modis:
Funiculo quamquam tuus iſte aptiſſimus eſt pes,
Crede mihi, cervix aptior iſta foret.

Dum quidam Romæ concionator ad populum de inferorum pœnis acerrimè loquitur, ab inſano homine interpellatur: tum ipſe inſanus ſilente concionatore declamare palam incipit.

DEſcribit ſacer orator dum tartara, demens
Auditor ſubitâ voce ſilere jubet.
Ipſe fit orator; declamat, & increpat, ipſum
Arrectis animis concio tota ſtupet.
Quo tamen ille ſtupor? Stupeam quæ rara videntur.
Qui ſtupet inſanum, ſanus an ille mihi eſt?

De Phaetontis fabula.

LUcis equi frænos detrectant fronte ſuperba;
Ignarus currum dum moderator agit.
Tunc orbis rapidos viſus conſidere in ignes;
Solvere & antiquam miſta elementa fidem.
Mox tantâ genteſque, urbeſque premente ruinâ,
In medias Phaeton corruit author aquas.
Corruit, & periit, ſed quî tam nobile fatum
Tanta lues orbis promeruiſſe poteſt?
Conſortem naturam habuit fati; & rogus illi
Illius flagrans ignibus orbis erat.

De quodam Dominicæ Reſurrectionis die, quem effuſi vbertim imbres continùo totum obſcurarunt.

QUi Chriſtum recolit redeuntem ad lumina vitæ,
Nubibus, & nimbis horruit ille dies.
An ſolem decuit pluviali nube latere,
Dum melius tellus protulit ima jubar?

Lunæ defectus.

TErra ubi phæbeos objecta intercipit ignes,
Protinus extincta Cynthia luce perit.
Ergo tuum non eſt, quo fulges Cynthia, lumen;
Lumen ab adverſi lumine ſolis habes.
Neſcieram; ſed nunc defectam, & luce carentem
Dum te non video Cynthia, nota mihi es.

Conditiones ab Antonio Ciceroni, ſi modò ſecum in gratiam redire vellet, oblatæ, à Cicerone rejectæ.

TUtus ab Antoni Cicero ſervabere ferro,
Vivere ſi tamen hac conditione placet.
Ardeat in medias diſperſa Philippica flammas,
Et flammæ interimant illius omne nefas.
Ipſaque perdendam det flammis conſcia dextra,
Impius effudit quam ſtylus ante luem.

Hic

Hic olim Antoni ſenſus. Sed maluit ipſe
Poſthabitâ Cicero conditione mori. (mis;
Nunquam, inquit, per me moriere Philippica flam-
Meque juvet, maneat quo tibi vita, mori.
Dummodo tu vivas æterna Philippica, vitâ
Æternum vivam ſcriptor & ipſe tuâ.
At contra Antoni vivam ſi munere, poſthac
Non dabitur vitâ nobiliore frui;
Si moriar, dabitur: nunc ergo muneris inſtar
Mors erit, ut vivam nobilius; moriar.

De Sampſone.

POrtentũ heu penitus lacrymabile;ludicra Sampſon
Pompa fit; indomiti quem timuere duces.
Ingentes orbes oculorum oſtendit inanes,
Ceu geminas caveas, & ſine luce ſpecus.
Cui fuerat felix virtus innexa capillo,
Abſtulit hunc olim fronte doloſa manus.
Hinc captiuum hoſtis ridet Sampſona, protervo
Ut riſu veterem vindicet ipſe metum:
Frangere & hinc cererem, miſerũ jubet; ille ſubactæ
Quadrupedis vertit conditione molam.
Ante miſer fueras dempto tibi robore Sampſon;
Robore nunc reliquo cogeris eſſe miſer.

De lepore, quem felis olim inſequendo ſylveſtres inter frutices tandem arripuit.

ME miſerum, cui tuta ſatis per teſqua vaganti
Felis inexpleto contigit ore rapi.
Felibus, & canibus natura per omnia diſpar
Ingenium, compar ad mea damna dedit.
Triſte nimis fatum: ſed quo periiſſe juvabit;
Dum ferar exitio ſuccubuiſſe novo.
Non laquei, tereteſque plagæ, volucreſque ſagittæ,
Latrantum aut rabies, vis & odora canum;
Inſigniſque furore Lacon, grandiſque Moloſſus,
Quotque inſtant generi monſtra pavenda meo;
Non venatores; at quem formido cavere
Non mea me docuit, me novus hoſtis habet.

Tiberius Cæſar verbum non latinum uſurpans à Pomponio Marcello grammatico arguitur, à Capitone defenditur, qui ait: hoc verbum aut eſt latinum, aut certe futurum.

GRammaticus ſummo prolatam à principe vocem
  Damnat, quod forſan non latialis erat.
Defendens Capito; quæ principis excidit ore,
  Vox, ait, illa vel eſt vel latialis erit.
Cujus vel pravos mores laudaverit alter,
  Tu neſcis verbum non latiale pati?
Barbariem excutient, ſi princeps juſſerit, & mox
  Auſonium accipient barbara verba decus.
Pro libito ad Grajos romana vocabula mittet;
  Grajorum & quæ ſunt, afferet ipſe ſibi.
Qui latè imperio ſummus tenet omnia Cæſar,
  Vocibus an minimis ille ſubeſſe queat?
Grammatici at nequeunt blandiri; tu modò ne ſis
  Grammaticus, felix aulicus eſſe potes.

Herodes ventris doloribus inteſtinis exagitatus morte occubuit.

NOn freta, non ignes, non toxica ſæva tyranno,
  Non dolus, aut ferri vis inimica nocent.
Intima ſed peſtis ventrem diſrumpit, eique
  Ferrum, & tortoris dextera, fibra ſua eſt.
Herodem necat Herodes: aptiſſimus illi
  Non deerit tortor, dum ſibi tortor erit.

Flos in phiala.

ESt mihi vita breuis, facile eſt ſed vivere, victum
  Aut præſtat tellus, aut levis humor aquæ.
Si vivax multùm eſt, novit qui vivere parce;
  Dic age, cur mihi ſit vita, Galene, brevis?

Jureconſulti laus.

Quas populis ſcripſit veterum ſapientia leges;
 Et ritus quidquid, canaque jura monent,
Ricardus docili, & prudenti pectore condit:
 Hinc trepidis præſens conſulit ille reis:
Hinc æqua expendit lites, & jurgia lance:
 Hinc & certus adeſt arbiter ille foro.
Abſcedat rurſum ſi Aſtræa, hunc reddite terris
 O ſuperi, Aſtrææ congruet ipſe loco.

Carolo V. horologium latro ſurripit: at ſub latronis veſte reconditum æris tinnitu mox horam patefecit, & furtum.

Horarum Auguſto monitorem ſurripit aureum,
 Involuitque ſinu latro ſubinde ſuo.
Extima ſed metam dum lingula tangeret horæ,
 Interiore ſonus protinus ære datur:
Prodit & ipſe ſonus furtum: ſic temporis index
 Plus monet, artificis quam docuere manus.

Idem argumentum.

Clam domino raptum, quod tempora denotat, (aurum
 Mox notat audaces, ære ſonante, manus.
Judex parce reos tormento urgere, ſat ipſum
 Jam furtum in fures incipit eſſe loquax.

Ad hominem, alienis fortunis invidentem.

Livide, qui alterius rebus macreſcis opimis
 Haud te devoveam, nequitiamque tuam.
Hoc aliis tantùm felix, fauſtumque vovebo:
 Macreſcat rebus, livide, nemo tuis.

Ad ineptum, & fatuum.

Eſt tibi procerum, ſed idem ſine pectore corpus;
Eſt pulchrum, ſed abeſt denique mica ſalis.
Et genere, & numınis, & prole, & robore polles.
Sis tu quantumvis omnia, nullus homo es.

Caligula in ſuo conſulatu equum ſibi collegam depoſcit. Ad urbem Romam.

Roma venis Trojæ de ſtirpe; at nata parentis
Exitium infelix ne patiare, cave.
Trojæ, equus exitium; jam ſi tibi cœperit eſſe
Conſul equus, quid ni te quoque perdat equus?

Idem argumentum. Ad Caligulam, & urbem.

Collegam quòd poſcis equum, damnare quis audet?
Collegam gaudes conſul habere parem.
Illo tu dignus, pariter te dignus, & ille:
Delectum miror, quòd ſapienter habes.
Contra hinc delectum cogor damnare, quòd annus
Neutro romanus conſule dignus erat.
Sed Trojâ, genus unde tibi; felicior eſſe
Roma tamen poteris, dum tibi conſul equus.
Neptunum, quem Troja diu ſibi ſenſit iniquum,
Iſte tibi conſul conciliabit equus.

Herodes jubet, poſt ſuam mortem occidi nobiles, ac lectiſſimos juvenes; ut per aliena funera luctum ſibi, & funeri ſuo pararet.

Plurima nobilium moriturus corpora damnas;
Et cineri inferias præcipis eſſe tuo.
Impie Rex tua ſic feritas cogitque, vetatque,
Interitum fieri vota aliena tuum.
Te miſeranda mori nollet, te nollet Idume
Vitam agere; eſt miſeræ certus utrinque dolor;
Hinc te ſupremo præſtat concedere fato;
Et metus eſt, tantam vivere poſſe luem.

Jude

Inde tamen præſtat, vivacem velle tyrannum;
Et metus eſt, tantam poſſe perire luem.
Quantum ſævitiæ ingenium eſt! Herode vel ipſo
Illa facit, Solymas ne caruiſſe juvet.

De planta, & flore Granadillæ apud Indos naſcente.

QUod tibi deſcriptas patientis Numinis in ſe
Oſtentat pœnas, India germen habes:
Hoc mente, hoc oculis, amplexuque aſſere toto;
Nam meminiſſe dabit, quæ meminiſſe juvat.
Scilicet utilium memor ut ſis, Numen in ipſis
Floribus inſcribens exibet illa tibi.

Idem argumentum. Alluditur ad dictum Plinii Natura pinxit remedia in floribus.

NAtura appinxit medicamina floribus; inter
Delicias quò ſit dulcior ipſa ſalus.
Verius at mundi, quæ ſunt medicamina, pictor
Cernitur exiguo in flore referre Deus.
Dulcius ut noſtræ liceat meminiſſe ſalutis;
Dum meminiſſe, ipſo flore monente, licet.

Joannes Acutus ex Anglia quondam Florentinorum Dux in metropolitano Florentinæ urbis templo mira arte depictus, militari equo inſidens cernitur.

COnſtet ut æternum Joanni nomen Acuto,
Æternum hoc ſtatuit Paulus Ocellus opus.
Cernis equum fræno famulantem, at fronte tumentē:
Argutâ armiſonas en capit aure tubas:
En efflat geminis animoſam naribus iram:
En procul hinnitu martia ſigna vocat.
Crura tamen dextri lateris ſimul erigit ambo;
Queis ſimul erectis carpere tendit iter.
Naturæ quamvis ſic lege, modoque negetur,
Siſtere quadrupedes, aut glomerare gradum;
Hoc monitos voluit vitio nos forſitan auctor,
Ne verus nobis eſſe putetur equus.

Rimi-

Nimirum attollens ambo ſic crura probatur
Haud jam verus equus; cetera verus erat.

Adoleſcentis, procul à patria dum virtutis, & gloriæ ſtudio peregrinatur; vita functi Epitaphium.

QUò pulchras caperem, Martiſque, & Palladis artes,
E patria viſum eſt longius ire domo:
Deliciſque procul juveniles durius annos
Exigere, ut ſapiens norma, vetuſque monet.
At ſexta rapuit dum me trieteride; honoris
Ingreſſus quòd eram mors cita rapit iter.

In edentulum fictis dentibus utentem.

SUnt ficti dentes tibi; & uno, ſi libet, omnes
Sternutamento jam licet expuere.
Lingua aliis fuerit, vultuſque, edentule, mendax:
Mentiri at totis dentibus ipſe potes.

Eriſicthon, ut eſt in fabulis, crudeli fame compulſus ſe ipſe devorat.

QUod Cererem infelix Eriſicthon læſerat, illi
Venit ab irato numine dira fames.
Impius hinc Divæ contemptor ſævit in artus
Ipſe ſuos, & ſe morſibus ipſe petit.
Tigridis hinc inſtar rabido furit efferus ore;
Seque ardet membris exaturare ſuis.
Proh veſana fames! Friſichton cogeris ipſe
Ducere ab exitiis ſæva alimenta tuis.
Atque tui pariter nutritor, tortor & idem.
Incrementa tui per tua damna facis.

Horologium Solarium.

QUanta eſt humanæ vis, & ſolertia menti!
Nil non illius cura, laborque poteſt.
Præſtitit hoc etiam, ut rapidum lentiſſima quamvis,
Servet iter ſolis, ſignet & umbra ſequax.

Idem

Idem argumentum.

LAbentis umbra monſtrat hæc fugam vitæ.
O quale dabit hæc umbra, ſi velis, lumen!

Duacenſis mulier ex virulento quodam ſummi dorſi tumore immanem rubetam peperit, & è partu exanimata ſtatim interiit.

SI prole in ſimili poſt fata puerpera vivit;
Vivere non dabitur poſt tua fata tibi;
Nam te lethiferam fama eſt peperiſſe rubetam;
Et modus, & ratio non parientis erant.
Aſt hominis ſi mater eras; jam neſcia prolis,
Jam matris pariter neſcia fama foret.
Ergo quòd abſimilem peperiſti fœmina prolem,
Hoc vives forſan poſt tua fata diu.

Idem argumentum.

HAudunquam ſeſe muliebri ex ulcere natam
(Credere ne renuas) dira rubeta velit.
Namque quòd eſt tali prognata parente, videri
Incipit, & monſtri duplicis eſſe loco.
Sic ſe naſcentem furiali ulciſcitur irâ;
Et matrem, ut primùm naſcitur ipſa, necat.

Idem argumentum.

DIſſilit in dorſo muliebri dum tumor, atra
Prorumpit multo miſta cruore lues.
At pejor quæcunque lue, horrendoque cruore
Protinus è rupto bufo tumore venit.
Dedecus heu noſtri generis. Sed pœna redemit,
Fœmina quòd partu dedecus illa tulit.
Tantam etenim peſtem quod dorſo parturit, ultrix
Pœna ſit ille tumor; quòd parit, interitus.

In

In ſepulchrali lapide hujus mulieris.

HOc condor tumulo parens rubetæ,
Quam multo peperi cruore miſtam,
Et nigrâ lue, & ulceris veneno.
Quicunque hæc legis, hinc procul recede:
Nam ſi monſtra dedi maligna mater:
Peiora hic dabo luridum cadaver.

Zeuxis dum vetulæ imaginem, quam ipſe pinxerat, intuetur, præ nimio riſu extinguitur.

EXuccam, & vietam, gibboque premente recurvam
Nobilis aggreditur pingere Zeuxis anum.
Jam frontem, & nares ſulcaverat; atque ſenectæ
Per caput argutâ ſparſerat arte nives.
Jam mucore aures, ſpumâque infecerat ora;
Traxerat & longo pendula labra ſitu.
Prominet eductâ tenuatum cuſpide mentum;
Atque cavos oculos lacryma putris habet.
Inde recognoſcens opifex opus illa riſu
Rumpitur; & patulo ſpiritus ore fugit.
Mors petiit vetulam; at vano decepta colore eſt:
Perdere quam voluit, ludicra tela fuit.
Artificem ergo petens; non eſt me ludere cuiquam,
Nec, ſi me quis (ait) ludat, inultus erit.

Iudas proditor pœnitentia ductus laqueo ſe ſuſpendit.

PErfidus ingrato Judas vix ore Magiſtrum
Attigerat, ſævo prodideratque dolo;
Cum penitus volvens ſpinoſas pectore curas
Ipſe ſuum præceps arſit in interitum.
Hinc ſibi reſte miſer properavit fata; furenſque
Arboris ex ulnis triſte pependit onus.
Proditor infelix, quæ te mens læva fefellit?
Non tua per laqueum noxa ſoluta tibi eſt.
Te tua noxa quidem malè perdidit; at tuus iſte
Per laqueum peiùs perdidit inde dolor.

Ma-

Marius, ut à mordacibus curis animum avertat, vino abutitur ad ebrietatem.

Fertur ſollicitæ ſecura oblivia vitæ
  Immodico Marius ſæpe bibiſſe mero.
Hæc erat æterni miſero medicina doloris;
  At nimis infelix illa levamen erat:
Non bene mordacem mærenti è pectore curam
  Pellunt cum multâ libera vina dape:
Namque homini, mentem nimio qui fervet Jacco,
  Tam breve lætari eſt, quàm furor ille brevis.
Mens ubi jucundum excuſſit reparata furorem,
  Priſtina cum magno fœnore cura redit.
Occurſant animo veterum monumenta dolorum:
  Exagitatque ſuum conſcia corda nefas.
Sed Marius nullo parcentes tempore curas
  Sperat ſe plenis mergere poſſe ſcyphis.
Ut prior, infelix Conſul, fortuna receſſit!
  Ut ceſſere animo vota ſuperba tuo!
Ergo tibi ſummum temulenta inſania votum eſt:
  Quæritur & miſerâ tam miſer arte furor.

Quòd imbrifer nimis, & auſterus annus auſtera vina dederit, jocoſa conqueſtio.

Solſtitium haud domuit pendentem in vite Lyæū,
  Quin libræ exacto tempore & aſper erat.
Heu cœli triſteſque vices, menſeſque maligni;
  Luctificæ nubes, & ſine ſole dies.
Hanc tandem peperere luem mortalibus ægris,
  Ut pejora nigro pocula felle bibant.
Annoſi robur quondam jugulare falerni
  Feſtivus vates dixerit eſſe ſcelus.
Adſit at unda mihi nunc largior; aſpera vina
  Flumine vel toto nam jugulare licet.

De ſecunda Philippica ſic loquitur Cicero.

SIncerè fauſtum nihil eſt: quæ vivere longum
Dant monumenta mihi, cauſa fuere necis.

Secunda Philippica de Ciceronis interitu ſic loquitur.

SUm longa; haud tamẽ Antoni ſcelus omne notavi:
Summum etenim deſit, quo cecidit Cicero.

Apes in Thermis Antonianis ſuper exeſam & caducam rupem mellificant.

THermarum ingentes ætas ubi longa ruinas
Explicat, hyblæum murmurat agmen apum:
Rupe ſub aeria, pronique in fragmine muri
Dædala nectareum turba laborat opus.
Hic rigidum fugere jovem, caurosque furentes;
Hic ſua concordi fædere caſtra tenent.
Artem omnem ſpeculatur apum, ſtudiumq; favorũ;
Aſcræâque refert voce latinus olor.
At modo quòd ſuper excidia, atque in ſede labanti
Tam bene regna locent, ars, ſtudiumque novũ eſt.
Vis hominum fuerit, fuerit ſolertia ſupra
Fundamenta ſuas firma locare domos.
Damna per, & caſus, veterumque in clade domorũ
Ingenium eſt apibus diſpoſuiſſe lares.

De quadam fele, quæ ſub ſtrue lignòrum deliteſcens, atque inibi oppreſſa dum aliquo poſt tempore detegeretur, inſtar tygridis arefacta apparuit, & in ſapientum virorum muſæo expoſita jam ſuſpicitur.

SUm lignis eliſa; hinc nobile vivo cadaver:
Ac turpis ne ſim, ligna dedere, cinis.
Cum feles pereunt aliæ, traduntur oletis;
Aſt ego nunc raras cenſeor inter opes.

Idem

Idem argumentum.

NObile, dum premerent ligna, expreſſere cadaver:
Nullius felis nominis ante fuit.
Semper in anguſto decus eſt, interque labores;
Quique premit, pulchrum dat labor ipſe mori.

Idem argumentum.

DUm lignis premerer, ſum facta inſigne cadaver.
Jam me crediderís, ſic voluiſſe mori.

Idem argumentum.

SIc lignis felis ſum irata prementibus, ut me
Ex obitu factam dixeris eſſe tygrem.

Idem argumentum.

LIgna inter felis perii, at modo ſum propè fænix:
Ex ipſo videar cum rediviva rogo.

Adverſus animæ graveolentiam quæſitorum
uſus odorum quandoque inanis.

DIſſimulare animam infelix dum quæris olentem,
Tota tibi unguentis quid viduatur onyx?
Quid corpus toto Coſmi perfundis aheno?
Quid tua paſtillis perlitus ora foves?
Haud ullum diapaſma tuum emendabit odorem,
Omne odor inficiet ſed diapaſma tuus.

In ea Horatii verba; Illi robur, & æs
triplex circa pectus erat, &c.

ARgolico, ceu fama refert, ſata ſanguine pubes
Ignotis auſa eſt credere prima fretis.
Illa vel immanes ſcopulos, atque horrida Nerei
Per fragilem valuit vincere monſtra, ratem:
Non illa inſanis luctantes fluctibus auſtros,
Non rabiem imbriferi palluit illa Jovis.

Uſque

Uſque adeò eſt audax humanæ induſtria gentis;
Exitiiſque novis ingenioſa ſtudet.
Quis furor immenſi per tot diſcrimina ponti
Crudelem lethi corripuiſſe gradum?
Num ſtat præverti vivacis fata ſenectæ,
Supremumque citâ morte videre diem?
Veſanus labor eſt; properat non artibus ullis
Accerſita, ſua parca timenda colo.
Mille aditus pandit ſibi mors, atque oſtia mille;
Conamurque novum pandere mortis iter?
Non ſatis eſt, terras regnet quod ſæva per omnes,
Ni pariter teneat ſceptra ſuperba mari?
At tibi fortè vias alias mors improba quondam
Sternimus, ut venias quà tibi ſtrata via eſt.
Sponte perire ſua libitum eſt pereuntibus; & quæ
Fata manent miſeros, hæc voluiſſe juvat.
Libertas ſic nempe, hominum ſedet inſita cordi;
Ut juvet & fato liberiore mori.

De Alexandri III. Pontificis ſtatua.

ROmano è ſolio leges qui protulit, illum
Nobilis inſculptum marmore dextra refert.
Marmor Alexandrum ſpirantem oſtendit; & arte
Ludere ſpectantes dædala forma poteſt.
Omnia Alexandri pene hic ſunt reddita; tantùm
Excipe, quòd profugus qui fuit orbe, ſtat hic.

De fungo, qui unus ſatis explere turbam potuit.

INgentem fungus potuit qui paſcere turbam,
Unus cum fuerit, corpore quantus erat!
Si qua humiles inter regnandi eſt gloria fungos;
Huic me debetur judice tantus honos

Idem argumentum.

FUngus alit turbam; aut pumilorum hæc turba pu-(ſilla eſt;
Aut eſt fungorum maximus ille gigas.

Idem

Idem argumentum.

Turba virûm accubuit, poſituſque eſt fungus; & (ipſi
Cæna unus turbæ fungus opima fuit.
Haud hic frugaleſque viros, parvoque potentes,
Serranum, Curium, Fabritiumve putes.
Laus fungi unius tota eſt, quod & agmine toto
Non fuerit quamvis eſuriente minor.
Diſſimulet Claudi fungum jam fama ſuperſtes:
Hic fama dignus nobiliore frui.
Ille quidem è rerum imperio monſtrũ abſtulit unũ;
Sed fuit inducto deteriore nocens.
Hic auſus nihil eſt inſigne bonive, malive:
Fama ſit ergo illi major, at huic melior.

Idem argumentum.

Turbam unus potuit fungus ſat paſcere, & illa
Vel Lybicæ cereri turba timenda foret.
Si nunc educit fungos ſic terra gigantas,
Haud tuſcam exagitent retia noſtra Thetin.
Quis maris ærumnas ſubeat; pinguiſſima quando
Præda ſua è terris obvia ſponte venit?
At cum trita nimis vulgo, nimis obuja fungus
Præda ſit, ad ſtomachum non facit ille meum:
Nobilior ſtomachus pretioſius eſurit, inquis.
Quam tu vel ſtomacho deſipis, imò furis!

Idem argumentum.

Doloſa fungus ſæpe ſit lues vitæ,
Ceu viperarum ſuccus, & malum virus;
Fertque intimus præcordiis necem tortor.
Aſt innocentem hic præſtitit dapem fidus:
Etiam necavit ipſe, ſed famem turbæ
Necavit; unus & erat; ac fames turbæ
Totos apros viciſſet, & graves tynnos;
Niliqne cererem totam, & appulas meſſes.

Ad Virgilii Maronis tumulum.

Hic tegitur latiæ columenque, decuſque camenæ:
Hæc magni cineres urna Maronis habet.
Per quem, Græcorum quantumlibet ignibus hauſta,
Troja ſtat; exanimis pulvis, & umbra jacet.
Sed capere ingentis libeat ſolatia damni:
Mortuus hic tantùm, vivit ubique Maro.

De frequenti Ciſiorum uſu in Urbe Roma.

Quæ geminas ſtat ſella rotas ſuper, acta ſed uno
Fertur equo, in phaleris ambitioſa novis,
Sub Chiſio viſit Romanum ſydere cœlum;
Dedalaque argutum Gallia miſit opus.
Ac parcè primum, modicèque vagata per urbem eſt;
Rarum erat & ſenibus, nobilibuſque decus.
Nunc tamen aſſiduis diſcurſibus omnia vexat,
Septenos colles, compita tota tenet,
Et totam late Romam noctuque, diuque
Irrequieta premit, pulverulenta terit.
Mox limum exagitatque, eluctaturque tenacem,
Hyberni terris dum rediere dies.
Gliſcit & uſque magis, ſimul annua ludicra Bacchi
Cum genio, atque jocis ebria bruma refert.
Dicta olim è Martis ſi nomine Martia Roma es,
Quantum ipſo in luxu nunc quoque Martis habes!
Tot currus inter (quamvis pacemque, togamque
Tuta tenes) dici Martia jure potes.
Totque rotarum inter certamina crebra, fragoreſque
Et pompâ fulges, & prope Marte furis.

Nobilis olim equus jam ætate, & victoriis exactis ad plauſtra tandem demittitur.

Hic ſonipes fervente vagi certamine curſus
Ante alios primo pulvere clarus erat.
Ulcere jam ruptus jam faſtiditus & annis
Pene animam exiguo in pondere anhelus agit:

Dum

Dum plebejum æger plauſtrum trahit, exquiliaſque
Molliter acclives vix ſuperare poteſt.
Auget ſæpe decus vitæ longæva ſenectus,
Sæpe terit; ſæpe & dedecus ipſa parit.

De muliebri in veſtibus ornatu, & luxu.

QUæ cenſus induta places tibi fæmina avitos,
Perque omnem geſtis ire notanda viam,
Fœminei pretium mundi jam congere totum;
Quidquid Erithreæ Tethyos unda parit;
Aduehit extremis quidquid mercator ab indis;
Suffoſſo quidquid Dalmata monte petit.
Prægravet omnigenæ quamvis te ſarcina pompæ,
Ipſa tamen tanto in pondere quam levis es!

Ignavi militis ſimulatæ fortitudini illuditur.

QUid non horrendum, quid non immane minaris,
Compoſitis armis dum fera bella ſilent?
Sed nudi ut primum emicuit ſeges aſpera ferri,
Perſtringens oculos, ingeminanſque diem:
Ut tormentorum intonuit furor arcibus altis,
Sibilaque exploſi ſæva dedere globi:
Claſſica quin etiam ut Martis monuere propinqui;
Quæve mares animos tympana pulſa cient:
Continuo pavor exanimat tibi pallidus ora,
Atque ima exagitat frigidus oſſa tremor.
Corde lepus cum ſis, vis dicier ipſe moloſſus;
Dicier intrepidus vis leo, dama fugax.

Ariſtoteles de ſuorum obſcuritate librorum ſic loquens inducitur.

OBſcure ſcripſi, majore hinc nomine forſan
Eniteo, illuſtrem me magis umbra facit.
Sic mihi non deeſt interpres, non aſſecla doctus;
Conatur ſenſus quiſque ſubire meos.
Quique ſubit penitus, fert hunc & Apolline toto,
Tota & linatum Pallade fama virum.
Aurum ergo abſtrudens fodiendum, nobile feci
Foſſori nomen, nobiliuſque mihi.

Cer-

Certantis in curſu equi velocitas.

QUam fortis certat, rapiduſque! en alite planta
 Pulvereum libans pervolat æquor equus;
Caurorum haud impar effuſis flatibus, alpes
 Aerias ſupra cum ſua regna tenent.
Dic modò, tu propior vero vis fabula dici:
 Neptunus non huic author, at Eolus eſt.

Ad Adoleſcentem miræ in pedibus celeritatis, in ingenio tarditatis.

FLammea pes tuus antevenit veſtigia cervæ,
 Sed teſtudineo mens tibi lenta gradu eſt.
Feſtina lente; vetus eſt ſententia: utrumque
 Jungere ſat belle tu pede, mente potes.

Duorum inter ſe congredientium vitulorum certamen.

ASpicis, ut lævi quantumvis fronte tenellus
 In pugnam vitulus prurit uterque procax?
Hinc ambo, atque hinc obnixi cervicibus altis
 Subſiſtunt; tum æquo prælia marte gerunt.
Tum pariter digreſſi acuunt vagitibus iras;
 Integrantque animas ad nova bella ſuos.
Concurſant iterum: Frons fronti alliſa reſultat;
 Reſponſantque ictus ictibus uſque pares.
Cornu olim frons pugnabit, nunc pugnat inermis.
 Tantus & in teneris indolis ardor ineſt!

De ingentis apro magnitudinis interfecto, ad venatorem.

EN tibi, dum certa torques venabula dextra,
 Porrectus magno vulnere magnus aper.
Proh quantus dum ſtaret, erat, quam dente pavendus
 Fulmineo, & ſetis horridus, ore ferus;
Cum tantus jaceat poſt fata; ac pene ſuperſtes
 Spiret in exanimis rictibus ira minax!

Extin-

Extinctum credit ſpectator, & uſque fatetur;
Sed tamen extinctum vix putat eſſe pavor.

De eodem apro.

PRæda jacet, thuſcæ fuerat qui glandis alumnus,
Immani mole, ac dente timendus aper.
O qualis, quantuſque, abrupta, atque avia montis
Ante pererrabat, frondiferumque nemus!
Concidit exanimis, ſubito nunc ſtratus ab ictu,
Attamen exanimi vivit in ore furor;
Ac prope jam ferit; atque uno ſpectatur in ipſo
Tota Erymanthæi fabula prodigii.

Ad furem, qui juxtà Plautum dicitur, trium eſſe litterarum homo, unamque de ſe litteram facere, dum ſuſpenditur.

QUi litterarum diceris trium, quæſo,
Triſte tibi ne compendium pares furtis;
Unius & homo litteræ, heu miſer, fias.

In Juvenem proſapiæ decus vitiis ſuis fœdantem.

NAtalibus coruſcus, at niger vitâ es;
Nec fulgor umbram patrius tuam vincit,
Quin patrius umbrâ vincitur tuâ fulgor.

Libelli totius concluſio.

E Vario quamquam mihi lemmate gratia parta eſt,
Carminibus meta eſt hic ſtatuenda meis.
Ne fortè, immodicus ſi quid ſtylus audeat ultra,
Carmina diſpliceant, lemmata nec placeant.

LIBER LYRICORUM.

PLectra, & lyricos modulos viſum eſt huc, tanquam in extremum angulum ablegare, ut à ſuperioribus venientem te, & de viâ non ſatis fortaſſe brevi plus ſatis fatigatum quaſi cantu, & lyrâ reficerem. Id erat in votis, ſi ſecus tamen res cadat, defatigationi denique tuæ commodùm occurret ipſa, quam vides, libelli brevitas. Profectò vix quidpiam adeò inſuave deprehendas, ut noſtra hac brevitate commendatum, ſi fuerit, poſſit ipſum vel faſtidioſiſſima lectio indignari: tam enim paucis, paruiſque definitum pagellis pene jam legiſti, dum legis; ſtomachoque ut ut ambitiosè affectanti delicatiorem nauſeolam nauſeare minimè vacat, quando ſub ipſa initia jam præſto eſt exitus, & coronidis feſtinatæ ſolatium.

Rigidioris anni inclementia auſteram nimis vindemiam dedit, quam intempeſtivum, ac præproperum menſe Novembri frigus conſecutum ſubindè eſt.

Jam longiores haud patiens moras
Feſtinat altis ſpargere montibus
Brumale vellus; nec Novembres
Quid faciles deceat, laborat;
Aut quid tepentes Alcionum dies,
Immitis annus: Jam rota temporum
Exlex, viceſque oblita rerum
Omne decus populatur anni.
Sat luctuoſus Iupiter imbribus
Æſtatis horis miſcuit hiſpidæ
Momenta brumæ; nec Lyæi,
Solſtitio rubuere fœtus.
Pubes agreſtum docta bipaliis
Torquere campos, prodigium dolet;
Dum cogitur prælo in liquorem
Aſper adhuc fluitare Bacchus.
Non per flagrantis pocula Maſſici
Poſthac licebit diſcutere improbas
E corde curas, & benigno
Fallere triſtitiam ſopore.
Quiſnamque crudos non renuet pati,
Hauſtuſque diros Bacchi inamabilis?
Heu mitior de fonte ductus
Potus erit ſalientis undæ:
Vel quæ liquenti ſplendidior vitro,
Riviſque fertur rauca loquacibus,
Tendens per anfractus ſuperbis
Fluminibus ſociare vires.
Si tu furorem Pierium cies,
Dum vim calentem mentibus incutis;
Jam barbiton ponat Camena,
Bacche, tuis viduata donis.

In Clementis X. Pontificis Maximi obitu.

O Sola lethi dura neceſſitas,
Atrox, & audax faſcibus imperi,
Sceptriſque regnorum verendis
Fila brevis ſtatuiſſe penſi.
Tellure raptum Romuleum Patrem
Aſtris dediſti: flectere nec preces,
Nec thuris halantes honores
Difficiles valuere Divos.
Aſt ille cœli jam tenet ardua;
Curæque ducit præmia nobilis,
Sanctique ſolamen laboris,
Chriſtiadum moderatus orbi.
Mox fauſtitatis munera largior
Exuberanti fundet ab æthere;
Cladiſque, & armorum tumultu
Sollicitas recreabit urbes.
Hinc certa noſtris ſpes animis micat,
Jungenda Regum fœdera, & auream
Securitatem reddituras
Marte procul, furiiſque pulſis.
Quondam feroci claſſica murmure
Terrere ſomnos horrida deſinent:
Pax tuta componet, fideſque
Trinacriam, dominumque Iberum.
Atque ipſe ſenſum pacis amabilem
Tum Galle ſumes; mens erit omnibus
Sic una per ſerrum, per ignes
Atterere Odryſium furorem.
Jam dira noſtris aſſonat auribus
Vox, & Tyranni Treycii dolor.
Jam barbarus cedens cruento
Turpe ſolum quatit ore ductor.
Romana ſed qui jura per aſperos
Martis labores protegit acrius,
Hinc fortis inſtat, remque cauſâ
Fretus agit meliore miles.

De

De Beato Stanislao Koſtka.

DUm Koſtka triſti carcere corporis
Captiuus hæret, pondera compedum
Pertæſus olim, his fertur altè
Magnanimis caluiſſe votis:
Sæpe efficaci rumpere pectora
Contendit æſtu cor mihi, cælitum
O ſumme Princeps, ò voluptas
Haud ſenii minuenda damnis.
Totus tuorum percitus ignium
Vitale flagro viribus; & feror
Telluris oblitus, meique
Alitibus ſuper aſtra curis.
Frigentis undæ temperiem peto
Flammis tot impar; & gelidi Jovis
Sub pectus accerſo flabellum,
Lene mei moderamen æſtus.
Rurſum ſed uror pectoris intima:
Et quæ nihil non attenuat dies
Damnoſa, noſtræ liberalis
Addit opes, animoſque flammæ.
Sive occidentis pulcher ab æthere
Momenta Phæbi nunciat Heſperus;
Seu Phoſphorus ſignat propinquum
Antevolans, reducemque currum.
Cor uſque anhelans undique amabili
Torquetur æſtna; luminibus meis
Quodcumque ſpectandum per orbem
Obiicitur, ſpeciem ſuperni
Dat conditoris: Numine quidlibet
Regnante plenum eſt; Numen & omnia
Per vota, per curas amandum,
Aſtra monent, humiliſque tellus.
Vitæque, longique exilii piget
O temperator, nobilis ò Sator
Et cæli, & orbis; namque flammas
Excipiam melius beatas.
Exemptus anguſto exilio miſer.
Abſolve tandem ſtamina promptior;

Quid Parca jam ceſſas? quid inſtas
Lenta meum cruciare votum?
Te rex, colonus te celerem dolet:
Hæc omnium urget te querimonia,
Votis inacceſſam; at morarum
Supplicium mihi dira nectis.

De Divo Gregorio Thaumaturgo.

ABſiſte cæcum vulgus, & impiæ
Quæcumque gentes numina fingitis
Monſtroſa, divorumque turbas
Ingenii arbitrio furentis:
Abſiſtite olim Chriſtigenûm pias
Ridere leges, & fidei ſacra,
Rituſque templorum, Deumque
Tegmine triticeo latentem.
Quidquid latini dogmate tendimus
Servare patris, ſeu levè ludere,
Ac fabuloſum; aut efferatis
Eumenidum exagitare probris,
Nunc eſt & inſani, & nimis improbi
Livoris, acrem qui ſimul occupat
Mentem triumphatam tyrannus,
Indocilem jubet eſſe veri.
Vos contumaces ſtrenua Gregori
Vincit poteſtas, innumeris palam
Spectanda ſignis, atque paſſim
Nobilibus metuenda monſtris.
En hic profundus gurgitibus lacus
Siccatur imis, quique ſuperbius
Affuſus inſultabat agris,
Gramen alit taciturnus alveo.
Tandem retecto; & vomeris artibus,
Cultuque longo doctus agreſtium
Jam mittit humanos in vſus
Subſidii cerealis uber.
En æſtuoſi ſæva licentia
Amnis redundat, neſcia legibus,
Ripæque præſcripto teneri,
Exitium meditata campis.

At fracta demum ſtipitis aridi
Sub præſtitutis limitibus, retro
Decedit, & cultis nocere
Vitat aquæ pudibunda virtus.
Quin ſaxa ſylvarum, & juga montium,
Saltus, ferarumque atra cubilia,
Ab ſede natali, ſoloque
Pulſa modis abjere miris.
Emolliendis pectoribus feris
Hæc veritatis ſplendidus edidit
Portenta teſtis, cui coactus
Aſſervit ſtupor ipſe nomen.

Deiparæ Virginis effigies, quæ in Provenſano Senarum Templo colitur, quondam per urbis compita ſolemni ritu deportata eſt: quod eventurum poſt antiquæ cujuſdam ſilicis lapſum fama erat, prædixiſſe jam dudum Bartholomeum Caroſium, vulgò Brandanum; factumque eſt ita, ut fuerat prædictum.

QUà mollis imo panditur æquore,
Deducta clivo ſemita nobili,
Hinc plurimo félix Jaccho,
Palladis hinc ſpecioſa ſylvis:
Librata quondam ponderibus ſuis
Annoſa rupes ſecula vicerat,
Secura longævas ruinas
Deſpiciens, lapidumque damna.
Fulcriſque tandem diſſilientibus
Excuſſa ab alto vertice corruit;
Et valle procumbit paluſtri,
Victa die, ſenioque longo.
Nempe hoc ſupremo Numine percitus]
Brandanus olim Sena tibi canit;
Cum pectus edoctum futura
Fata refert, ſeriemque rerum.
En iſte, dixit, dum quatientibus
Nutabit annis difficilis lapis;
Et mole diſcedet caducâ
Ima petens, humilemque valem:

Tum fauſta Senis approperat dies:
Cives reviſat qua genitrix ſuos
Virgo per undantes viarum
Innumera pietate tractus.
Oblita tum Gens undique patrios
Hetruſca fines Sena aderit tibi:
Doniſque certamen decorum
Virgineam cumulabit aram.
Jam Templum, & aram tum face vivida
Cerno micantem: thura vaporibus
Soluuntur effuſis; Sabæam
Æde ſacra redolente nubem.

De nimia cœli, annique ſiccitate.

TElluris æquor ſolis ab ignibus
Euerberatum fervet; & humidum
Jam frigus expoſcit, Jovemque
Irriguum, pluvioſque ventos.
Hinc æſtuoſos ubere jam negat
Lactare culmos languidior Ceres;
Ni robur exhauſtis, opemque
Addat agris annoſus imber.
Quin & Lyæus condere pampino
Doctus rubentes delicias, ſibi
Exoptat undam; perque ſylvas
Arboreum ſitit omne germen.
Cæloque nullos Jupiter arduus
Denſat vapores; perpetuus nitet
Æther ſerenatus; nec uſquam
Regna nigris repetuntur auſtris.
At jura ſummo qui Dominus Polo,
Regnoque dicis Tethyos; excute,
Et feriatum coge ventum
Imbriferas glomerare nubes.
Huc vota cives; huc ſua conferunt
Et vota paſſim ruricolæ pii:
Sylviſque cedentes, & antris
Tecta petunt laqueata Diuûm.

Michaelis Archangeli in Gargano Monte apparentis. Laudatio.

CÆlitum felix decus, & Parentis
Ultor æterni Michael; diei
Purior luce, Aligerum cohortis
Inclite princeps:
Alitis quondam ſuperis ab oris
More te vidit rapidæ volantem
Apulus; celſi juga dum ſubires
Ardua montis.
Ore vincebas ſpeciem nivalis
Culminis; qualem Rhodope, vel Hæmus,
Bruma dum regnat, cumulatus alto
Vellere præfert.
Multus at Titan radiabat omni
Corporis tractu; caveæ malignam
Vincere & noctem poterat, diemque
Addere campis.
Inſcius primùm ſtupuit colonus,
Ire Gargani per agros, per altum
Verticem lumen, cui nulla quondam
Sidera certent.
Miſta tum cœlo regio, & triumphis
Cælitum viſa; undique nam ſereni
Ætheris ſeſe dabat, & ſupernæ
Urbis imago.
Sentit aſpectum ingenioſa tellus,
Senſit & cœli facilis favorem:
Ridet hinc flos plurimus, & benigno
Copia cornu.
Induit vites melior Lyæus;
Fert Ceres plenam ſegetem; viator
Carpit & pomum inter inhoſpitalis
Auia ſylvæ.

Beatus Aloyſius Gonzaga in officiis chriſtianæ charitatis lethali morbo correptus decedit.

CUm vis horrida febrium
Paſſim Romulidum compita plurimo
Sternit funere pauperum;
Primùm hoſpes pietas arte Machaonis
Plures mortifera lue
Affectos reparat; deinde ſuperſtitem
Abſtergit maciem febris
Extinctæ, & relevat corpora viribus
Eneruata cadentibus;
Bacchi deliciis, & pretio dapum.
Quot tunc febribus æſtuant,
Ægrotis operam tu quoque devoves
Gonzaga, & pia munera
Aſſuetâ imperiis dum peragis manu,
Lethalem bibis halitum
Toto pectore; quem è pectore languido
Ægri ſpirat anhelitus.
Infuſam penitus ſic referens luem,
Optatam exhibiti refers
Mercedem officii, funus amabile.
Nil eſt funere dulcius
Hoc Gonzaga tibi: funere ſcilicet
Hoc te quàm decuit mori;
Mactavit veteres enſibus, ignibus
Heroas furor impius
Tortorum; interimit te pietas tua.

Tiberius Imperator ab Urbe ad Capreas inſulas proficiſcitur.

FAllat ut auguſtæ Cæſar faſtidia vitæ,
Romano de culmine cedit.
Securuſque, ſuum quid tandem terreat orbem,
Ad Capreas feſtinat amænas:
Quas ubi deliciis ridentes aſpicit oras,
Et circumfuſum maris æquor;
Hoc, inquit, mea dextra, hoc nunc demerge profundo
Pluſquàm ferrea pondera ſceptri.

Hic

Hic datur inuiſum, capitis diadema, laborem
 Incertis dimittere ventis.
Sic ſcelerum ultores penitus componere ſenſus,
 Et furiales pectoris æſtus:
Sic vacuos agitare dies, & ducere ſomnos
 Confidit ſe poſſe ſalubres
Sollicitus Princeps: vanæ ſed credulus undæ
 Inſanum ſpe lactat inani
Pectus; & à ſummo fruſtratam numine mentem
 Mox triſtis querimonia prodit.
Heu mihi, quòd morior vivens, vox Principis una eſt,
 Heu longum ſine funere funus
Infelix patior; morientis parcere morti
 Crudeles didicere ſorores.
Cumque homines ictu Proſerpina demetat uno;
 Multiplici me perdere letho
Eſt ſuperis certum, lentiſque abſumere fatis,
 Pertæſum jam lucis, & auræ.
Has medio in luxu curis ingentibus æger
 Nequidquam dabat ore querelas.
Non cælum, ait animum mutet, qui pellere tendit
 Carnifices è corde dolores.
Nam neque cæruleæ proſpectus Tethyos aufert
 Infigunt quos crimina morſus.
Nec bene ſub cunas Phæbi, heſperiumve cubile
 Aſſiduum fugit impius hoſtem:
Dum ſibi quæſitor mens inſtat conſcia; durus
 Sola ſibi Rhadamantus & ipſa eſt.

In Herodem, molientem Chriſti infantis occiſionem.

TYranne cur immitis in cælum furis,
 Puerumque ſævam poſcis ad necem Deum?
Divûm ne ludes vota? ſpem mundi tuus
Fruſtrabit enſis? Victima haud tua cadet
Immanitatis ille, quem crucis labor
Olim ſaluti vindicem noſtræ dabit.
Sed ipſe voti immanis immanem lues
O dire pœnam; ebullient fibræ tibi
Fluitante ſanie; plurimus vermis vicem
Carnificis in te geret; & atra vividæ

Tormenta mortis ſenties miſer diù.
Spirans cadaver, ſæpe fatorum moras
Dolebis, ac tot poſt neces, tandem & tuam
Pertæſus Herodes tui ardebis necem.

In Domitianum, damnantem ad ferventis olei dolium Divum Joannem Evangeliſtam.

PORtentum atrox, & efferum, terrarum onus
Grave, innocentis ſanguinis triſtis lues;
Strages anhelans tigris, humanæ probrum
Naturæ, & ortum è peſte Cocyti malum:
O Domitiane ahena vulcano, putas,
Accenſa toto corpus inſontis valent
Urere? ferocem pone mentem, & accipe
Benignam; ab ipſis diſce jam ignibus pius
Fieri; immerentis vitat attactum furor,
Atque impetus flammarum; & æthereis velut
Aſperſus imbribus oleæ ſpirat liquor
In igne frigus roſcidum; ponit minas
Accenſa tædarum ira, fumidus vapor
Supprimitur; & mox vernus Aprilis tepet
Victa ſuper incendia, videſne, miſer vides
Truculente Princeps, & ferocior feris,
Quo te impium miraculo admoneat Deus?
Nec tibi ſat eſt: audes in immeritum caput
Sævire adhuc. Sed debita impendent tibi
Supplicia, flammæ, ſqualor, atque horror Stygis,
Noctiſque, cui nulla exitum dabit dies.
Tormenta nullo rore dulceſcent tua:
Cæleſtis ignes ira tortores alet,
Ne ſeculis ſeneſcat illorum vigor:
Illiſque dum torquentibus, te ultrix premet;
Nunquam tamen necabit, ut ſemper necet.

In laudem Almæ Domus Lauretanæ.

O Major altis molibus,
Auliſque regum pulchrior
Cæleſtis in terris Domus:
Metalla non tibi decus,

Non

Non ſaxa, non gemmæ ferunt,
Fulgore mendax vanitas.
Sed virgo Numinis parens,
Numenque proles Virginis,
Gentes ut inter exteras,
Totoque in orbe clareas;
Longis perennitatibus
Inſigne te nomen facit.
Utrique nam ſedes eras,
Utrique tu culmen; tuo
Receptus in ſinu eſt Deus,
Cum matre dum vixit puer,
Demiſſus & normam piæ
Demiſſionis præbuit.
Hinc te remotis è plagis
Votiva promens munera
Frequentat humanum genus:
Hinc & potentum vertices
Tibi coronas devovent,
Totaſque ſubmittunt opes.
Sit laus patri cum filio,
Qui natus olim è Virgine
Mortalium commercia,
Parvamque non ſprevit domum:
Sit jugis & Paraclito
Honor per omne ſeculum.

In idem argumentum.

TUtela Picenum, domus
Auguſta bis, & amplius:
Sit undecumque parvulis
Metata quamvis finibus;
Tectoque paupere, & ſitu
Antiquitatis decolor.
Hanc ipſa paupertas decet,
Exilitas decet ſua;
Infantis illa enim Dei,
Matriſque paupertas fuit,
Omni metallo ditior,
Mundique regnis grandior.

Quin

Quin magnus & Nutritius
Cum JESU, & alma Virgine
Ligna hic dolabat artifex;
Interque mortales inops
Opes tenebat cælitum,
Quas neſcit humanus tumor.
Summis ab aſtris adſuit
Delapſus olim huc Aliger,
Enuncians matrem fore,
Quæ Virgo ſemper manſerat:
Illamque neſciam viri
Dei maritat ſpiritus.
Patri perennis claritas,
Qui librat orbis machinam;
Natoque Matris Virginis,
Cum Spiritu Paraclito:
Tribuſque compar gloria
Æterna ſit per ſecula.

INDEX
EX LIBRO I.
EPIGRAMMATON

IN Chriſti Infantis exortu arcanum Dei hominis myſterium. pag. 2.
Ad Beatum Aloyſium Gonzagam, qui inter ludendum trudiculis, rogatus, imminente morte quid ageret; luſurum ſe reſpondit. pag. 2.
De Sacris Lipſanis divorum Vincentii, Placidi, & Reparatæ. pag. 3.
De Liberiana Baſilica Divæ Mariæ ad Nives. pag. 3.
Quatuor Latinæ Eccleſiæ Doctores. pag. 3.
Divus Auguſtinus Confeſſionum libros ſcribit. pag. 4.
De Divo Ægidio, quem cerva lactavit in antro. pag. 4.
Ad Divum Vincentium Martyrem, cujus vulneribus præſens Angeli medicamentum apportant. pag. 4.
Divo Franciſco Xaverio delapſam in mare Crucifixi Servatoris effigiem Cancer marinus reſtituit. pag. 5.
De Spiritualibus Divi Ignatii Loyolæ exercitiis Aſceta expertus ſic teſtatur. pag. 5.
Chriſti Pueri effigies in horto ameniſſimo depicta. pag. 5.
Idem argumentum. pag. 5.
Idem. pag. 5.
Idem. pag. 6.
Idem. pag. 6.
Idem. pag. 6.
De religioſis Votis. pag. 6.
Ad Beatum Aloyſium Gonzagam, qui conſummatus in brevi explevit tempora multa. pag. 6.

Divi

Divi Caſſii cineres cum primum Narniam aſportati ſunt binas à malo dæmone occupatas mulieres liberant. pag. 7.
Divus Francifcus Xaverius adſtricto funiculis corpore iter ingreditur. pag. 7.
De Divo Laurentio Martyre. pag. 8.
Divus Ignatius Loyola meliorem vivendi rationem amplexurus è templi tholo militarem enſem ſuſpendit. pag. 8.
Diva Maria Magdalena capillis extergit lacrymas, quas in Chriſti pedes effundit. pag. 8.
De Infantis Dei ortu: & de Neſtoriano circa id myſterium errore. pag. 9.
Ad Divum Bernardinum Senenſem, qui alapam incutit homini, obſcæna loquenti. pag. 9.
In ſolemnes Divorum Joannis Baptiſtæ, & Auguſtini dies; quorum alter ſextili menſe recurrens proximè alterum conſequitur. pag. 9.
Ad Beatum Aloyſium Gonzagam. De voluntariis ejus corporis cruciatibus. pag 10.
Divus Franciſcus Aſſiſias ut fœdas cogitationes exturbet, nudum inter nives corpus ſuum volutat. pag. 10.
De Puero Jeſu; & de Regibus Magis. pag. 10.
Dypna virgo impudicum patris amorem abs ſe reiiciens à patre occiditur. pag. 10.
Ad præſtantiſſimam è ligno ſtatuam, quæ Beatam Mariam Magdalenam macie, lacrymiſque confectam ad vivum repræſentat. pag. 11.
Ad Divum Ignatium Loyolam, qui nuper miles, mox literarum ſtudiis dat operam. pag. 11.
Eodem, quo Beatus Stanislaus Koſtka moritur anno, Beatus Aloyſius Gonzaga naſcitur. pag. 11.
Diva Catharina Senenſis oblatis à Chriſto aureis, & ſpineis ſertis ſpinea accipit, & Chriſtum ſic alloquitur. pag. 12.
Ad Divum Euſtachium, cui venanti inter Cervi cornua crucifixus Chriſtus apparuit. pag. 12.
De Eodem. pag. 12.
In Chriſti Domini morte multa Sanctorum, qui dormierant, corpora ſurrexerunt. pag. 12.
Divus Ignatius frigido ſe lacu immergens impudi-
cum

cum iuvenem à ſceleribus retrahit. pag. 13.
Ad Divum Simonem Salum, qui ſtultitiæ ſpeciem pie præſeferebat. pag. 13.
Idem Argumentum. pag. 13.
De Sacro Baptiſmatis fonte. pag. 13.
Didymi, & Theodoræ pro morte obeunda certamen. pag. 14.
Divus Ignatius tormenti bellici ictu vulneratus ad meliora conſilia ſe vertit. pag. 14.
Chriſti Infantis Præſepe Franciſcus Aſſiſias rudi ceſpite, & ſylveſtribus foliis pie conſtruxit; quod divinus ipſe Infans inviſit, & in ſuppoſito ſtramine recubuit. pag. 15.
Divus Ignatius trudiculis ludit invitatus ab adoleſcente, quem dum eo vincit in ludo, iuxta conditionem utrinque poſitam ipſum ad optimam vitæ, morumque rationem ſolertiſſimè traducit.
Ad Adoleſcentem. pag. 16.
De Divo Joanne Apoſtolo, ac diſcipulo præcipuè dilecto. pag. 16.
De Sanctorum Inocentium ſtrage. pag. 16.
De Divo Stephano Protomartyre. pag. 17.
Ad Divum Thomam Apoſtolum, Dei ſervatoris latus tangentem. pag. 17.
Ad D. Petrum Cæleſtinum, ſe Pontificatu abdicantem pag. 17.
E capite Divi Pauli abſciſſo lac emanat. pag. 18.
De Puero Jeſu, & Parente Virgine. pag. 18.
De nova Stella, quæ in Oriente ſub Chriſti Domini nativitatem apparuit. pag. 18.
Divus Antonius Patavinus hominem olim occiſum vitæ reddit, ut is Antonii ipſius parentem de homicidio appellatum, innocentem abſolveret. pag. 19.
Beatus Aloyſius inter publicè diſputandum ultrò olim labi, & errare voluiſſet. pag. 19.
Ad Puerum Jeſum deliteſcentem in Præſepio. pag. 19.
Ex variis ſcholaſticæ Theologiæ materiis deductum in Infantis Dei gloriam argumentum. Ex materia de Divino Verbo Incarnato; unde jam pri-

dem

dem Theologici ſtudii curriculum fueram exorſus. pag. 20.
Ex materia de Beatitudine. pag. 20.
Ex materia de Virtute Religionis. pag. 20.
De Religioſæ Paupertatis voto, cùm Magorum Regum muneribus comparato. pag. 21.
De Innocentibus Pueris ab Herode necatis. Ad Puerum Jeſum. pag. 21.
Beatus Aloyſius dum publicas Philoſophiæ diſputationes haberet, oppugnanti, qui in Gonzagæ familiæ laudem proluſerat, ſubiratus reſpondit. pag. 21.
Ad Divam Catharinam Senenſem, quæ duplici corona ſibi à Chriſto oblata, ſpineâ nimirum, & aureâ, ſpineam apprehendit. pag. 22.
Cum Populus Romanus Pio Quinto viventi ſtatuam erigere vellet in Capitolio, à Sanctiſſimo Pontifice prohibetur. Ad Beatum Pium. pag. 22.
De navali prælio, quod contra Turcas Beatus Pius commiſit. pag. 23.
Selimus Turcarum Tyrannus ob acceptum nuncium de Pii morte vehementèr cùm ſuis exultat. Ad Beatum Pium. pag. 23.
Idem Argumentum. Ad Beatum Pium. pag. 23.
Divus Philippus Nerius poſt Beati Pii mortem accepto ejus calceo plurima patrat per illum miracula. Ad Beatum Pium. pag. 24.
Divæ Catharinæ Senenſis inter domeſtica ministeria alienato ab humanarum rerum imaginibus animo corpus illæſum ſupèr ignes diu perdurat. pag. 24.
Beatus Aloyſius dolet, ſe rapuiſſe olim per puerilem ludum nonnihil pulveris tormentarii è militis theca. pag. 24.
Chriſtus Dominus à ſævis militibus capitur: eos voce percellit, ac ſternit; & Malcho auriculam reddit. pag. 25.
Divus Ignatius Loyola ad ſeptem interdum dies omni cibo abſtinens jejunia protrahit. pag. 25.
Ad Divam Catharinam Senenſem, quæ ſæpe, & familiariter Chriſtum alloquitur. pag. 25.
Ad Divum Petrum de Alcantara, dono altiſſimæ con-
tem-

templationis, & admirabilis pœnitentiæ divinitus inſignitum. pag. 26.
Divus Ignatius arcanos animorum ſenſus, & crimina intuetur. pag. 26.
De Eccleſiaſtico, ut Theologi appellant. Indulgentiarum theſauro. pag. 26.
Idem argumentum. pag 26.
Idem argumentum. pag. 27.
Idem argumentum. pag. 27.
Idem argumentum. In Martinũ Lutherum, conantem indulgentias omnes de medio tollere. pag. 27.
Indulgentiarum theſaurus per auri venam in terræ viſceribus ab illapſu ſolis procreatam figuratur, hac epigraphe adiuncta. Ab alto pretium. pag. 27.
Divus Ignatius inter mortuis vocibus Jeſū indentidem appellans, mortem placidiſſimè obit. pag. 28.
Ad Divum Franciſcum Borgiam egregium humanarum rerum contemptorum. pag. 28.
Ad Eundem. De pia ejus animi demiſſione, qui ſe nihil eſſe exiſtimabat, & perſæpe dicebat. pag. 28.
Chriſtus Dominus ad Divuã Catharinam Senenſem. Tu de me cogita, inquit, ego de te cogitabo. pag. 28.
Idem Chriſtus Dominus ad Eandem: Auſtera pro dulcibus dulcia pro auſteris habeto. pag. 29.
Beatus Aloyſius fœminarum hoſtis dictus. pag. 29.
Heba Virgo ne barbaris petulanter in eam irruentibus ſpecioſa nimis placeat, vitrò ſibi nares abſcidit. pag. 29.
Ad Franciſcum Borgiam, viſo Iſabellæ Imperatricis cadavere de ſanctioris vitæ inſtituto ineundo agitantem. pag. 29.
Beati Aloyſii Gonzagæ ætas, non annorum numero computata, ſed meritorum pondere expenſa. pag. 30.
Ad Divum Franciſcum Xaverium, in Sanciano Inſula ſanctiſſimè morientem. pag. 30.
Ad Divum Ignatium Loyolam. De ipſius inter Cælites gloria. pag. 30.
Ad tres Societatis JESU in Japonia Martyres. pag. 30.
Divo Dominico Dominicani Ordinis Parenti Santiſſimo, & præclaris in Eccleſiam meritis ſpectatiſſimo. pag. 31.

EPI-

EX LIBRO II.

Poeſeos de impuris poetis querimonia. pag. 33.
Theodoricus in appoſito ſibi ad menſam piſce Symmachi caput à ſe interfecti intueri ſibi viſus eſt: unde portento exterritus moritur. pag. 33.
Moſes latro, poſtea monachus. pag. 33.
Ad Alexandrum ſeptimum ſummum Pontificem. qui ſuum ſibi feretrum extrui, & ob oculos poni jubet. pag. 34.
Idem argumentum. pag. 34.
Marius per compita victæ olim à ſe Carthaginis panem emendicat. pag. 34.
Pompejus poſt Pharſalicam pugnam Lariſſam ingreſſus communi civium plauſu excipitur; quem ipſe plauſum, utpote non ſibi devicto, ſed victori Cæſari debitum generosè detrectat. pag. 35.
De Ponte Ælio, quem Romæ videmus tum ſtructurâ, tum ſtatuis inſignibus exornatum. pga. 35.
De Cimonis filiâ, patrem in carcere devinctum, & fame propemodum enectum papillis nutriente. pag. 35.
Nabuchodonoſor in quadrupedum formam vertitur. pag. 36.
Viri ſapientis adverſus fortuita conſtans animus. pag 36.
In obitu Illuſtriſſimi Domini Gherardini, cauſarum apud Senenſes Quæſitoris: quem verè non abiiſſe poſt aurum, mira ejus poſt mortem paupertas monſtravit. pag. 37.
In maledicum, cujus omnes maledicentiam reformidant. pag. 37.
De equorum exercitatione. pag. 37.
De aquarum ludis, qui Romanis in hortis exhibentur. pag. 38.
Ad Alexandrum Macedonem, qui ait, velle ſe Dio-

generem eſſe, niſi foret Alexander. pag. 38.
Tempeſtivâ hilaritate auſteritas nimia molliend. pag. 38.
Quale ciborum condimentum utiliter, ac laudabiliter petendum ſit. pag. 39.
Lunæ Eclipſis. pag. 39.
Ex Narciſſi fabulâ documentum. pag. 39.
Repentino venti flatu exorto regale olim diadema ab Alexandri capite abripitur, & in ſumma locatur barundine. pag. 39.
Ad Juvenum cœtum, literarum ſtudiis vacantium, & nimis gulæ indulgentium. pag. 40.
Horologium cryſtallinum arenarium. pag. 40.
De illius errore, qui ſe tragædiis intereſſe jugiter putabat; cumque mentis ſanitatem recepit, voluntatem ſibi ſuam protinus ereptam indoluit. pag. 40.
De Umbellâ ſub pluvio Cœlo adhibitâ. pag. 41.
Manlius è ſaxo Tarpejo, ubi Gallos vicerat, præceps deiicitur. pag. 41.
In illuſtrium virorum obtrectatorem. pag. 42.
De Thermis Antonianis. pag. 42.
Idem argumentum. pag. 42.
In Atheum. pag. 43.
Vade ad formicam ò piger. Proverb 6. pag. 43.
De puero procul à bonarum artium ſtudiis mollem nimis, & luxurioſam vitam agente. pag. 43.
In vanæ laudis captatorem. pag. 44.
In celeberrimi viri funere: Ejus famæ interitus Prænuciatur juxta illud Boetii: Jam te ſecunda mors manet. pag. 44.
In Aſtrologum. pag. 44.
Vetus, & ſapiens monitum: Noſce te ipſum. pag. 45.
Mors apud Inferos æterna. pag. 45.
Melior patiens viro forti; & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium, Prov: 16. pag. 45.
In idem argumentum. pag. 45.
In Stoicum. pag. 46.
Immortale præmium immortalibus piorum operibus paratum. pag. 46.
In Epicureum, cujus Deus venter. pag. 46.
Aman eâdem, quam Mardochæo paraverat, cruce ſuſ-

ſuſpenditur. pag. 47.
De pravo, rectoque ſui amore. pag. 47.
Quæ ſit hominis libertas. pag. 47.
Quid hominem divitem, aut pauperem faciat. p. 47.
In hominem degenerem, parentum virtutes jactantem. pag. 48.
De *ambitioſis ædificiorum Sumptibus.* pag. 48.
De *Elephantiaco Conſtantini morbo, & medicorum conſilio.* pag. 48.
Ex eo, quod homini cuidam contigit, dum Ignatium Loyolam oraret, ut alterum redderet oculum, quo erat orbatus; ſalutare monitum, ad illam Auguſtini ſententiam conformatum eruitur: Propitius Deus cum male amamus, negat, quod amamus. pag. 48.
Idem argumentum. pag. 49.
Solemni Sanctorum Innocentium die copioſæ è cælo nives delapſæ. pag. 49.
Die ſequenti reſolutæ ſtatim nives. pag. 49.
De herba Nicoſiana, ſeu Sanctæ Crucis quam vocant. pag. 49.
Nero cruentam miſerorum ſtragem ſmaragdo oculis admoto proſpectat. pag. 50.
Quidam Piſtorii ſuæ domui faces per ſummam amentiam ſubiiciens ſuâ cum domo conflagravit, & periit. pag. 50.
Darius à Beſſo proditus non vulgarem animi conſtantiam exhibuit. pag. 51.
De die defunctorum memoriæ dicato. pag. 51.
Cleopatra admotis ſerpentibus ſe ipſa interimit. pag. 51.
In fictum capillamentum. pag. 52.
Idem argumentum. pag. 52.
In quemdam, qui horridum aſpectum, incultamque barbam ambitiosè oſtentat. pag. 52.
Vxor Loth in ſtatvam ſalis transformatur. pag. 52.
In divitem Leguleium, qui inter loquendum eloqventiæ laudem affectat. pag. 53.
Ad Aſſentatorem, in quem opes, & munera abunde confluunt. pag. 53.
De Cinerum die. pag. 53.
Æternorum amor. pag. 54.

Ex

Ex verâ virtute vera immortalitas. pag. 54.
Heraclitus, ac Democritus. pag. 54.
Fulvia uxor Antonii in caput, & linguam extincti Ciceronis deſævit. pag 54.
Armamentarii deſcriptio. pag. 55.
Aſtiages Arpago filium comedendum apponit. pag. 55.
In Avarum. pag. 55.
De Gulæ vitio. pag. 55.
In Iracundum. pag. 56.
In Superbum. pag. 56.
In impudicum amatorem. pag. 56.
De Accediæ vitio. pag. 56.
In Invidum. pag. 56.
Lividi oblocutoris mordacitas. pag. 57.
Lenibus frangitur, auſteris rebus fovetur virtus. pag. 57.
Optimum cibi condimentum fames. pag. 57.
Hominum in adeundis periculis, & laboribus ſtulta plerumque alacritas. pag. 57.
In Idem argumentum. pag. 58.
Pravi mores divitiarum, & generis amplitudini officiunt. pag. 58.
De præaltis, quibus ad capitis ornatum mulieres utuntur, criſtis. pag. 58.
De faſtoſo mulierum ſyrmate. pag. 58.
Ad Divitem habendi auidiſſimum. pag. 59.
Cupiditatum moderatio verum animi regnum. pag. 59.
Innocentis conſcientiæ teſtimonim, verum hominis gaudium. pag 59.
De vitæ, temporiſque per ignaviam, & luxum jacturâ. pag. 60.

EX LIBRO III.

Gallienus Imperator quodam in ludo ei præmium detulit, qui decies taurum jaculatus nunquam collimavit. pag. 62.

Aquila altricem nacta puellam, mirifice illi gratiam reponit. pag. 62.

Ad Auſtriacum Infantem: de ejus Natali. pag. 62.

In Pſitaci morte; & ſepulchro. pag. 63.

Ad quemdam, qui plus nimio dum ſtertit, aliis dormientibus, importunè ſomnum abrumpit. pag. 63.

In hominem, qui volens, libenſque eunuchus efficitur, ut muſicæ arti det operam. pag. 64.

De limpidi Fontis aqua. Encomium. pag. 64.

Qui Divum Ignatium igne dignum pronunciaverat, igne correptus perimitur. pag. 65.

In Clementis X. Pontificis Maximi obitu. pag. 65.

In ejuſdem obitu. pag. 65.

Ad Eundem de ejus obitu. pag. 66.

In peſſimum tonſorem. pag. 66.

In morionem, & ſtolidum hominem. pag. 66.

Frigilla ad aucupem. pag. 66.

Vilis paſſer ad aucupem. pag. 66.

Ad quemdam, qui à ſe ſcripta in Ignatium convicia, transformata continuò videt in ejus laudes. pag. 66.

In Lippum. pag. 67.

In eumdem. pag. 67.

De fele quadam, quæ lucernarum oleum cum ellychniis immaniter ſorbet. pag. 67.

Cucumeres Piſtorienſes. pag. 67.

Idem argumentum. pag. 68.

Auroræ adventus. pag. 68.

Turdus. pag. 68.

Ardua docendi cura ab emerito jam ludi magiſtro ſic exponitur. pag. 68.

In

In quemdam, qui vilia quæque cœnat, ſed niſi optima non potat vina, & nivali frigore gelata. pag. 69.
Aliquot ex præcipuis Societatis JESU doctoribus. pag. 69.
Aliquot Societatis JESV ſcriptores in Poetica facultate præſtantes. pag. 70.
Stephonii multiplex ingenium pag. 71.
De probo, & frugi homine, cui rubra cæſaries. pag. 71.
De ſapientiſſimo medico Piſtorienſi, cujus capillus ad ſynciput flauus, ad occiput canus. pag. 71.
Idem argumentum. pag 71.
Idem argumentum. pag. 71.
Ad quemdam, qui magnifice identidem canit, quid acturus eſſet, ſi rex, aut quid ſimile in orbe terrarum foret. pag. 72.
Idem argumentum. pag. 72.
Princeps quidam datâ operâ ad iracundiam provocatus convaleſcit ex morbo. pag. 72.
In Equitis Bernini tumulo. pag. 73.
De pluribus nequitiæ ſignis in unum hominem convenientibus. pag. 73.
Inſanus homo, ſuppoſitis per ſummam inſaniam domui ſuæ facibus ſimul cum illa exuſtus periit. pag. 73.
Ebrioſi ad ſobrium hominem objurgatio. pag. 74.
De fabro, qui ante auroram ad opus fabrile revertens vicinis dormientibus permoleſtus eſt pag. 74.
De Labyrintho, qui ex arboribus, & fruticibus textus in Romanis Matthejorum hortis oſtenditur. pag. 74.
Puer ad fontem veneno illitum dum bibit, emoritur. pag. 75.
Podager hoſtem fugiendo convaluit. pag. 75.
De quadam roſarum ſpecie, quæ plurimum decoris, & minimum habent odoris: vulgò vocantur duplices. pag. 75.
In Montecucoli obitu, & tumulo. pag. 75.
In idem argumentum. pag. 76.
Druſus, dum pomum jactat in aerem, ut illud ore biante excipiat, obſtructis à pomo faucibus, moritur.

tur. pag. 76.

Mulier Romana viſo primùm filio, quem in luctuosâ ad Thraſymenum clade cecidiſſe crediderat: præ lætitia repente expiravit. pag. 76.

Cambiſes Præſaſpem, quod ſe vinolentum diceret, crudeliſſimè redarguit. pag. 77.

De duobus pictoribus, qui depictâ morte, non longo poſt tempore ambo perierunt. pag. 77.

Per erithreas undas incolumes fugiunt Hebræi: inibique perſequentes cum Pharaone Ægyptii demerguntur. pag. 77.

De ſepulchro, quod Michaeli Angelo Bonarotæ poſitum in templo Sanctæ Crucis Florentiæ viſitur. pag. 78.

Echo per ænigma deſcribitur. pag. 78.

Immanis Principis poſt plura patrata homicidia ad filiorum ſtragem animum intendentis, crudeles ſenſus expreſſi. pag. 78.

Epigramma biulcum, & claudicans vocabulis partim deficentibus, partim in ſede non ſua locatis: tyronem exercendum ſic hortatur. pag. 79.

In funambulum plus juſto audentem: pag. 79.

Dum quidam Romæ concionator ad populum de inferorum pœnis accerrimè loquitur, ab inſano homine interpellatur: tum ipſe inſanus ſilente concionatore declamare palam incipit. pag. 79.

De Phaetontis fabula. pag. 80.

De quodam Dominicæ Reſurrectionis die, quem effuſi vbertim imbres continuò totum obſcurarunt. pag. 80.

Lunæ defectus. pag. 80.

Conditiones ab Antonio Ciceroni, ſi modò ſecum in gratiam redire vellet, oblatæ, à Cicerone rejectæ. pag. 80.

De Sampſone. pag. 81.

De lepore, quem felis olim inſequendo ſylveſtres inter frutices tandem arripuit. pag. 81.

Tiberius Cæſar verbum non latinum uſurpans à Pomponio Marcello grammatico arguitur, à Capitone defenditur, qui ait: hoc verbum aut eſt latinum, aut certe futurum. pag. 82.

Herodes ventris doloribus inteſtinis exagitatus morte occu-

occubuit. pag. 82.
Flos in phiala. pag. 82.
Jureconſulti laus. pag. 83.
Carolo V. horologium latro ſurripit: at ſub latronis veſte reconditum æris tinnitu mox horam patefecit, & furtum. pag. 83.
Idem argumentum. pag. 83.
Ad hominem, alienis fortunis invidentem. pag. 83.
Ad ineptum, & fatuum. pag. 84.
Caligula in ſuo conſulatu equum ſibi collegam depoſcit. Ad urbem Romam. pag. 84.
Idem argumentum. Ad Caligulam, & urbem. pag. 84.
Herodes jubet, poſt ſuam mortem occidi nobiles, ac lectiſſimos juvenes; ut per aliena funera luctum ſibi, & funeri ſuo pararet. pag. 84.
De planta, & flore Granadillæ apud Indos naſcente. pag. 85.
Idem argumentum. Alluditur ad dictum Plinii: Natura pinxit remedia in floribus. pag. 85.
Joannes Acutus ex Anglia quondam Florentinorum Dux in metropolitano Florentinæ urbis templo mira arte depictus, militari equo inſidens cernitur. pag. 85.
Adoleſcentis, procul à patria dum virtutis, & gloriæ ſtudio peregrinatur; vita functi Epitaphium. pag. 86.
In edentulum fictis dentibus utentem. pag. 86.
Eriſicthon, ut eſt in fabulis, crudeli fame compulſus ſe ipſe devorat. pag. 86.
Horologium Solarium. pag. 86.
Idem argumentum. pag. 87.
Duacenſis mulier ex virulento quodam ſummi dorſi tumore immanem rubetam peperit, & è partu exanimata ſtatim interiit. pag. 87.
Idem argumentum. pag. 87.
Idem argumentum. pag. 87.
In ſepulchrali lapide hujus mulieris. pag. 88.
Zeuxis dum vetulæ imaginem, quam ipſe pinxerat, intuetur, præ nimio riſu extinguitur. pag. 88.
Iudas proditor pænitentia ductus laqueo ſe ſuſpendit. pag. 88.

Marius, ut à mordacibus curis animum avertat, vino abutitur ad ebrietatem pag. 89.
Quòd imbrifer nimis, & auſterus annus auſtera vina dederit, iocoſa conqueſtio. pag. 89.
De ſecunda Philippica ſic loquitur Cicero. pag. 90.
Secunda Philippica de Ciceronis interitu ſic loquitur pag. 90.
Apes in Thermis Antonianis ſuper exeſam, & caducam rupem mellificant. pag. 90.
De quadam fele, quæ ſub ſtrue lignorum deliteſcens, atque inibi oppreſſa dum aliquo poſt tempore deregeretur, inſtar tygridis arefacta apparuit, & in ſapientum virorum muſæo expoſita jam ſuſpicitur pag. 90.
Idem argumentum. pag. 91.
Idem argumentum. pag. 91.
Idem argumentum. pag. 91.
Idem argumentum. pag. 91.
Adverſus animæ graveolentiam quæſitorum uſus odorum quandoque inanis. pag. 91.
In ea Horatii verba; Illi robur, & æs triplex circa pectus erat, &c. pag. 91.
De Alexandri III. Pontificis ſtatua. pag. 92.
De fungo, qui unus ſatis explere turbam potuit. pag. 92.
Idem argumentum. pag. 92.
Idem argumentum. pag. 93.
Idem argumentum. pag. 93.
Idem argumentum. pag. 93.
Ad Virgilii Maronis tumulum. pag. 94.
De frequenti Ciſiorum uſu in Urbe Roma. pag. 94.
Nobilis olim equus jam ætate, & victoriis exactis ad plauſtra tandem demittitur. pag. 64.
De muliebri in veſtibus ornatu, & luxu. pag. 95.
Ignavi militis ſimulatæ fortitudini illuditur. pag. 95.
Ariſtoteles de ſuorum obſcuritate librorum ſic loquens inducitur. pag. 95.
Certantis in curſu equi velocitas. pag. 96.
Ad Adoleſcentem miræ in pedibus celeritatis, in ingenio tarditatis. pag. 96.
Duorum inter ſe congredientium vitulorum certamen.

men. pag. 96.
De ingentis apro magnitudinis interfecto, ad venatorem. pag. 96.
De eodem apro. pag. 97.
Ad furem, qui juxta Plautum dicitur, trium eſſe litterarum homo, unamque de ſe litteram facere, dum ſuſpenditur. pag. 97.
In Juvenem proſapiæ decus vitiis ſuis fœdantem. pag. 97.
Libelli totius concluſio. pag. 97.

E X

EX LIBRO

LYRICORVM

Rigidioris anni inclementia auſteram nimis vindemiam dedit, quam intempeſtivum, ac præproperum menſe Novembri frigus conſecutum ſubindè eſt. pag. 99.
In Clementis X. Pontificis Maximi obitu. pag. 100.
De Beato Stanislao Koſtka. pag. 101.
De Divo Gregorio Thaumaturgo. pag. 102.
Deiparæ Virginis effigies, quæ in Provenſano Senarum Templo colitur, quondam per urbis compita ſolemni ritu deportata eſt: quod eventurum poſt antiquæ cujuſdam ſilicis lapſum fama erat, prædixiſſe jam dudum Bartholomeum Caroſium, vulgò Brandanum; factumque eſt ita, ut fuerat prædictum. pag. 103.
De nimia cœli, annique ſiccitate. pag. 104.
Michaelis Archangeli in Gargano Monte apparentis. Laudatio. pag. 105.
Beatus Aloyſius Gonzaga in officiis chriſtianæ charitatis lethali morbo correptus decedit. pag. 106.
Tiberius Imperator ab Urbe ad Capreas inſulas proficiſcitur. pag. 206.
In Herodem, molientem Chriſti infantis occiſionem. pag. 107.
In Domitianum, damnantem ad ferventis olei dolium Divum Joannem Evangeliſtam. pag. 108.
In laudem Almæ Domus Lauretanæ. pag. 108.
In idem argumentum. pag. 109.

FINIS.

	Errata.	*Sic corrige.*
Pag. 33. in tit. Epig.	oppoſito.	appoſito.
pag. 33. ver. 23.	ſibi.	tibi.
pag. 39. ver. 1.	locus.	cocus.
pag. 41. ver. 29.	notis.	votis.
pag. 67. ver. 12.	tibi.	ſibi.
pag. 67. ver. 12.	tuis.	ſuis.
pag. 69. ver. 2.	rigidas.	rigidos.
pag. 70. ver. 32.	Sarbiuius.	Sarbieuus.
pag. 86. ver. 8.	rapit.	rupit.
pag. 90. ver. 4.	deſit.	deſit.
pag. 96. ver. 5.	tu.	ſi.
pag. 96. ver. 16.	animas.	animos.
pag. 102. ver. 16.	ſeu.	ceu.
pag. 104. ver. 9.	tum.	cum.
pag. 105. ver. 25.	ſentit.	ſenſit.
pag. 109. ver. 27.	Picenum.	Picentum

Digitized by Google

Digitized by Google